ANTONII SIRMONDI SOCIETATIS IESU PRESBYTERI...

Antoine Sirmond, Cornelio Francescucci

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

14-5-B.32

Digitized by Google

Digitized by Google

A

ANTONII SIRMONDI

SOCIETATIS IESV

PRESBYTERI.

DE IMMORTALITATE ANIMÆ.

DEMONSTRATIO

physica & Aristotelica.

Aduersus Pomponatium & asseclas.

PARISIIS,
Apud GEORGIVM IOSSE, viâ Iacobæâ, sub signo Coronæ Spineæ.

M. DC. XXXV.
Cum Priuilegio & Approbatione.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

14-3-5-14



Digitized by Google

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.

ANTISTITIBVS ECCLESIÆ GALLICANÆ.

EPISCOPALIS dignitatis & honoris celsissima sedes cùm hoc in primis fundamento constituta esse videatur, Illustrissimi & Reuerendissimi Antistites, *quo Christus Dominus huic ordini non modò commisit, sed commendauit animas nullo quidem euentu occasuras vnquam in nihilum; aliquo tamen, peiori fortè conditione futuras, quàm si sic fieret, cùm ita vellent ipsæ, quod omen vestrâ vigilantiâ Deus auertat. Feciſſem sanè inconsultè, si eius causæ, quæ mihi nunc est in manibus, patrocinium ad vos minùs detuliſſem aut iudicium. Genus est quoddam hominum qui sibi, quod aiebat ille de immunda pecude, animam patiantur quidem pro sale esse datam, ne putrescat corpus, ipsam verò nolint nimis diu incorruptam permanere, ne si id crediderint nõ satis iucundè ac liberè in omni genere scelerum volutari queant.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Hinc illæ nonnunquam voces eorum petulantissimæ: quid si anima moriatur cum corpore? quid si omnia in hominibus paria sint & bestiis? Alij sunt his meliores quidem hoc certè nomine, quòd in Catholicorum numero haberi velint; at non multò tamen intelligentiores, cùm appellationis illa quid contineat ignorare videantur; in hunc sermonem qui cùm inciderint; immortalitatem animæ fide Christiana certam sibi esse dicant, ratione autem suspensam magnopere & dubiam; imò ne quid dissimulent, videri à Christo Domino consultum hac parte & prouisum esse benignissimè, id quod in natura deerat. Vtrisque vt satisfaciam, qualecunque istud est laboris atque officij onus pro virili parte suscipiendum mihi esse duxi ad Redemptoris nostri vel gloriam cumulandam, vel propulsandum dedecus; qui profectò si sanguinis sui pretio interituras tandem cum corpore animas de patre suo mercatus fuisset, non satis callidus mercator existimaretur à primis: siquæ capitis sui periculo aliquot tantùm annorum pœnâ, eaque in hac vita non nimis acerbâ liberasset nos, quod erat ex posteriorum sententia consequens, si supra naturam tributa nobis esset immortalitas (neque enim, opinor, fragilem alioquin & caducum ex se spiritum sempiterno carceri ac supplicio reseruatum voluisset Creator optimus) longè minus esset, quàm

esse nouimus & lætamur, de tam magno, tam incredibili beneficio Seruator expectatissimus cur amaretur à nobis & coleretur. Siue ergo cum his subeundũ mihi erat iudicium, siue cõtra illos patrocinium implorandum, vt suum animæ constaret perennitatis ius naturale; quæ potuit esse excusatio satis iusta, quo minus in hoc opusculo grauissimum nomen vestrum inscriberem? Profectò enim secundum me cùm decreueritis hodie ex antiquis Conciliorum canonibus; nemo erit in hoc genere vltimo, quin eorum putet sententiam amplectendam, quibus Imp. Constantinus Augustus Ablauio Præfecto prætorio, iam olim scribens tantam authoritatem concedi volebat, Vt non liceret vlterius retractari negotium, quod Episcoporum sententia decidisset. *Verba sunt legis. Studium verò vestrum & amoris sanctissimi ardorem quid est in quo magis excitandum sperem ad suum errorem multis eripiendum, & primi illius generis refutandam insaniam, quàm vt eis quantum in vobis est, persuadere velitis quod hîc demonstro, si conatui meo fauere vultis & adiutores esse. Sic vitam esse hominum, ex ipsius etiam naturæ legibus, vt non ad huius tantùm temporis cursum breuem natos se putent, qui rectè sentiunt, sed ad sempiternas & constantes sæculorum ætates, quarum sese nobis mox inde aperiant spatia lon-*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUE

Digitized by Google

giſſima, cùm ſolutus à corpore animus experiri in ſe cœperit vitam ſibi ſuam morte non ereptam, ſed collatam potiùs, beatam quidem illam aut miſeram, prout eius quam communem antè cum carne vixerit, virtus tulerit aut vitium. Id ſi authoritate veſtra fretus altiùs imprimere quiuero in eorum, imò in omnium animis; habent enim hoc ſcripta ſingulorum cùm ſemel exeunt, vt ante omnium oculos verſari geſtiant. Nonne vobis vel ipſum illud magnam ſpem inijcere poterit, perſpergendi mores noſtros & vitæ inſtituta illo ſale ſaluberrimo, quem in Apoſtolis, quem in vobis eorum ſucceſſoribus, Magnus Paſtor ouium, *gregi ſuo cupiebat præparatum. Flagitiorum impunitatem non pauci dum paucorum dierum propoſitâ ſibi morte corporis ſimul & animi conſectantur improuidè, ad ſempiternos acerbiſſimoſque vtriuſque cruciatus miſerandum in modum rapiuntur neſcientes. Veſtrum eſt in primis, vt pro eis, falſa & cæca expectatione præcluſa, timore vero ac iuſto de ſuo infelici curſu dimouendis, ſuſcipere velitis omnia. Ea re ſinite me, obſecro,* Paſtores fideliſſimi, *inque Patrum numero plurimùm à cunctis venerandi & colendi, in ſinum quaſi veſtrum obſequentiſſimum filium confugere; vnde vox illa altiùs intonare queat, quæ improbam & ſtulti ſanè conſilij opinionem ſi quando ex intimis mentibus*

Digitized by Google

euellere, & certissimũ sceleratorum hominũ damnum, mutatione vitæ, cum Deo præstare cœperit, vix, opinor, melius quidquam reliquum erit, de quo ardentiora vota facere aut possitis ipsi ex officio, aut si velim ego, permittatis.

Facultas & Approbatio.

EGo infraſcriptus ſociet. Ieſu in Prouincia Frãciæ Prępoſitus Prouincialis, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis, Henrico III. decima Maij, 1563. Henrico IV. 20. Decembris, 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante 14. Feb. 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab hominibus noſtræ ſocietatis compoſitos edant abſque Superiorum eius permiſſione, poteſtate ad id mihi factâ ab admodum, R. P. N. Mutio Vitelleſco Præpoſito Generali, permitto Michaeli Soly Bibliop. Pariſ. vt ad proximos ſeptẽ annos imprimere ac diuendere poſſit librum, quem his verbis inſcriptum, *Antonij Sirmondi, Societ. Ieſu Presbyteri, de immortalitate animæ demonſtratio, &c.* Et eiuſdem ſociet. noſtræ aliquot Theologi deputati examinarunt & approbarunt. Datum Pariſiis 18. Ianuar. 1635.

STEPHANVS BINETVS.

Summa Priuilegij.

LVdouici XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate ſancitum eſt, & patentibus eius literis cautum, ne quis in regno ipſius, aliiſue locis eius ditioni ſubiectis, intra proximos ſeptem annos à die impreſſionis primæ inchoandos, excudat, vendat, excudendum vendendumque, quouis modo & ratione curet librum qui inſcribitur, *Antonij Sirmondi Societ. Ieſu de immortalitate animæ* &c. præter Michaelem Soly Bibliopolam Iuratum Pariſienſem, aut illos quibus id ipſe conceſſerit. Sub pœna confiſcationis librorum, aliiſue originali diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Pariſiis 26. Ianuarij 1635.

Signatum, de mandato Regis.

PETIT.

TOTIVS OPVSCVL BREVIS PROSPECTVS

Immortalitatem probat ex eo.

AVthoritas diuina. } ex pag. 5.
Humana. } ad 15.
Aristotelica. ex p. 16. ad 45.
ac deinde occasione aliâ apertissimè. ex p. 263. ad 312.
Dei prouidentia. ex p. 46. ad 53.
Præstantia hominis. ex p. 53. ad 59.
Lex virtutis heroïcæ. ex p. 59. ad 62.
Lex virtutis communis. ex p. 63. ad 74.
Tum deinde ac propriè hæc ratio physica.
Si est aliqua animæ operatio propria, ipsa est immortalis.
Sed est aliqua, nimirum ipsa suî visio.

Ergo ipſa eſt immortalis.
De his ex arte conſtructis. ad p. 75.
Maiorem habes. ex p. 81. ad 94.
ac deinde occaſione aliâ. ad p. 198.
Minorem, quâ viſionem ſui vendicat animæ per communia principia. ex p. 94. ad 100. exque 133. ad 142.
Per intelligibilitatem propriam ſine ſpecie. ex p. 142. ad 182.
Perque intelligendi vim æqualem. ex p. 233. ad 263.
Quâ verò viſionem illam liberat à corpore, inchoatè quidem. ex p. 109. ferè ad 182.
Cumulatè autem & perfectè. ex p. 233. ad 263.
Sequitur conſtructio argumenti non inutilis altera. ad p. 185.
Parte 4. denique defenditur ab oppugnatibus a præcipuæ argumentationis, Maior quidem. ex p. 197. ad 202.
Minor verò. ex p. 202. ad 312.
Quo loco quæritur in primis num ſe hîc

anima intuitiuè videat, & cur non, si fortè minùs. exp. 213. ad 234.

Cùm autem non videre posueris, vt petitionis principij vitio careat argumentatio nostra, repetendum. exp. 318.

Conclusio tandem ipsa vt sic, aut si mauis consecutio Maioris rursum defenditur. ad p. 313.

Vt verò simplex est propositio. exp. 327. ad. 363.

Ad hæc totius operis fabricatorem egregium videre est Aristotelem. exp. 304. ad 312.

Locus est item insignis de intellectûs ratione non organica. exp. 109. ad 121. éxque 338. ad 346.

Nec non de Imaginatione pecudum. ad p. 374.

Ac de intellectu Auerroino. ad p. 365.

In epilogo dilemma est ad virtutem suadendam, haud opinor, inutile. ad p. 387.

Postremò refutatur singillatim Pompo-

natius in appendice in quâ fallax eſt inſcriptio paginarum, cx 17. ad 48. *redundát que,* p. 73. 21. ſed & p. 77. v. 8. *legi debet item, non autem.*



Digitized by Google



ANTONII SIRMONDI SOCIETATIS IESV PRESBYteri de Immortalitate Animæ.

OCCASIO SCRIBENDI, ratio & Consilium.

CAPVT I.

PAVCISSIMI dies sunt cùm aliud propè agens incidi in duos libros eiusdem quidem argumenti, vt præ se ferebant, diuersissimi autem, vt res habebat. Vnus erat Pomponatij, de Immortalitate animæ inscriptus, quem repugnante autore, nescio quis curiosus, aut impius, nouis typis iusserat in lucem exire solitarium & sine responsione Iauelli, quam

ipſe Pomponatius ſcriptâ ad eum epiſtolâ ita olim comprobârat, vt palàm rogaret edici, ſe quoque ſuffragante, perſperſum libro ſuo venenum hoc antidoto niſi diluatur, peſtiferum eſſe, ac toti humano generi extimeſcendum. Alter fuit liber Gallicus, quem eodem ornatum titulo, Cardinalis verè Eminentiſſimi nomine, nuper commendauit ad poſteros vir ſcribendo egregius. Iniectis in hunc oculis obſeruaui quantùm ex otio licuit, eò fermè collineare totum, vt immortalitatem, ex Dei poteſtate ac voluntate nobis quidem aſſerat, ex naturæ autem lege ac conditione vix fortè aſſeri poſſe contendat; quam etiam ob cauſam, ſtatim ab initio ita diſputare videtur, vt ſententiæ ſuæ probationem neceſſariò repetendam eſſe velit ex eo quòd Deum eſſe conſtet: in

quo, ſi quemadmodum reliqua vera omnia, tantùm ei mens eſt, iſtud quoque ex illo primo ac ſummo vero connexum oſtendere: nihil admodum certè noui affert: quid enim vſpiam ratum ſit ac fixum extra fundamentum, quo nituntur omnia? hanc verò ſi ſcribendi rationem orditur, & autoris rerum voluntati, immortale iſtud beneficium ita fert acceptum, quaſi non quidem nihil ſit, ſed forte nihil dum vlli affulſerit, quin animos hominum aduerſæ mortis caſibus, obnoxios eſſe ſeruatâ naturæ lege, Deus velle potuerit: iſtud ſanè eſt quod homini quantumuis amico, déque re literaria ac publica bene merito vereor vt poſſim aſſentiri. Hæc ergo mihi occaſio fuit ſcribendi non iniuſta, vt reor, aut magno labore quęſita, ſi quid interim pręuaricatori redluiuo ad mulctam,

patrono bonæ cauſæ optimo ad eam quâ dignus eſt, laudem adiecero. Occaſionis porrò minimè dimittendæ cauſam hanc & rationem habui aduerſus ſecùs opinantes haud imbecillam: quòd vt olim aliquando cùm hæc materia intacta erat, bono conſilio potuerit intacta relinqui, ne cui fortè minùs erudito veniret altercando in dubium, quod ſponte ſuâ pro certo alioquin habuiſſet & comperto: nunc tamen eò loco res eſſe videatur, vt inchoatum opus niſi quis exædificet, non artis penuriæ, ſed quaſi malè fundatæ domûs peccatum eſſe dicturа ſit malcuolorum turba. Huic ergo incommodo vt occurſum eam, propoſitum mihi eſt toto hoc libello quatuor hæc aut quinque in primis exequi. Authoritatem diuinam, ac humanam, tum Ariſtotelicam, rationem deinde

moralem ac phyſicam; quę omnia ac ſingula ita ſummatim attingam, non vt vnus docuiſſe videar, quod ex multis didici: ſed tamen vt in re grauiſſimâ dixiſſe me fortaſſe quiſpiam nonnihil exiſtimet, quod cùm mihi nemo, quòd ſciam, præiuerit, omnibus ſatis affatim prorſus eſſe debeat.

Auctoritas Diuina.

Caput. II.

VVnus erit ſacræ Scripturæ locus inſtar omnium; neque enim aut minùs ἀδύνατον eſt Deum ſemel quàm pluries falſum dicere, aut inculcanti & infercienti, quàm ſententiam ſuam ſimpliciter enuncianti, maior debetur fides. Si idem, inquam, eſſet hominis ac beſtiæ interitus; profectò quemadmodum qui beſtiam oc-

cidit, eius quoque animam perimit: ita quoquo in homine contingeret, vt cæso cum carne ſpiritu, nihil eius ſupereſſet à morte. Atenim quòd non ita fiat, apertum eſt Chriſti Domini ac Dei teſtimonium, cuius hæc verba ſunt Matth. 10. capite, recitatu digniſſima. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Ex quo quidem loco ſic arguo. Cuius anima, autore Chriſto, non ſimul cum corpore confoditur, eius anima manet extra corpus, atque adeo immortalis eſt ex fide diuina: Chriſti enim authoritas diuina eſt. Sed anima hominis, autore Chriſto, non ſimul cum corpore confoditur. Animam ergo hominis fateamur neceſſe eſt ex fide diuinâ immortalem. Huic petitioni vnicus obijci poteſt clypeus ab eo qui dixerit; conſtare quidem inde

immortalitatem homini, ſed eam nondum naturæ pro ſuo iure debitam; ſatis enim eſſe ad verborum Chriſti veritatem inconcuſſam, ſi quo tandem modo animam hominis Deus Opt. Max. ab interitu vindicet, ſeu ſupra, ſeu intra naturæ leges ac conditiones æquas id præſtet. Atque hîc ego, quanquam vlterius aliquid & melius vrgere fortaſſe poſſem, dum oſtenderem intra naturæ leges præſtandum id fuiſſe Creatori omnium benigniſſimo, ſi modò id potuit, cur autem non potuerit, admodum nihil eſſe; tamen ne contentioſus ſim; accipio interim quod datur, & vel iſtud fixum iam nunc ac in perpetuum ratum eſſe lætor: aut omnem eſſe Chriſto fidem abrogandam, aut de ſtatu animæ poſt mortem ita conſtituendum, vt perennis ſit, volente ſiue naturâ, ſiue Deo: ex quo

certè ſaltem id conſequens erit, nullus vt poſſit eius ſe magiſtri diſcipulum profiteri, qui æternæ vitæ verba in ore habet, quin ſtatim intelligat ſe in huius temporis, quod inter homines agit, breui ac infelici curriculo, ſempiternæ felicitatis velut fortunam tentare ac periclitari, quam ſcilicet ſine morâ olim obtineat, ſi bene & ex virtute vixerit, ſin autem, certo & inconſolabili luctu, ſine fine, amiſſam fleat aliquando ac deſperatam. Hoc primum, ſi Chriſtiani ſumus. Nam quòd aliqui ſubinuitant, vt demus teſtimonium ex veteri Teſtamento, longiſſimè falluntur, id ſi aut neceſſarium putant, aut difficile; quę enim, obſecro, neceſſitas? ſiquidem nihil vetat legis nouæ oraculis Deum multa edere, quæ olim texerit; quæ item difficultas? dum Chriſtus ipſe ac Domi-

nus noſter Matthęo referente ad caput 22. ex eo loco, quo Exodi cap. 3. dicit ſe Deus Deum Abraham, Deum Iſaac, Deum eſſe Iacob, probat Patriarchas illos etiam tunc cùm hæc diceret ſuperſtites fuiſſe, reſtante, opinor ſaltem, anima: ſed iamaliò feror, ſi lubet, rectis lineis.

Autoritas Humana.

Caput III.

ET ſi ea eſt eius, qui nec falli poteſt, nec fallere, in dicendo authoritas, vt cùm loquitur, ſilentio debeat eſſe hominibus: tamen quia nihil eſt procliuius, quàm vt ex vno errore in alium proruas; & animorum immortalitate ſemel in dubium vocata, de ipſa quoque Diuinitate non difficiliter incertus ſis. Si quem fortè

aduerſarium proximè citatus teſtis, idcirco nihil commouerit, quòd eum minimè nôrit : iuuat experiri an ſuî ſimilibus hoc eſt hominibus, adeóque non omnino ignotis teſtibus aliquanto plus fidei tributum velit. Quid enim in contrarium audebit vel impius, cùm immortalitatem qua de nobis ſermo eſt, gentium & nationum omnium conſenſu vnanimi, ab omni æuo confirmatam eſſe, ex me audierit? Pugnabit cum Gymnoſophiſtis in India, cum Triſmegiſto in Ægypto, cum Iobo in Chaldæa, cum Iobi amicis in oriente, cum Pythagora, Socrate, Platone, Thalete Mileſio, & huiuſmodi alijs Græciæ luminibus, cum tota Latinorum cohorte, ac Cicerone in primis, vt de Chriſtianis ſileam; an his ſimul omnibus, quod paſſim vrgent, aſſentietur ſupereſſe

poſt hanc vitam aliquid. O intolerabilem nonnullorum etſi paucorum audaciam. In cæteris omnibus philoſophandi lex eſt & ſentiendi optima, quam nemini fas eſt reuellere; vt quæ communis eſt omnium opinio ac notio, ea vera ſit & legitima. hinc illa ſcientiarum & doctrinarum omnium inuiolata principia; quòd totum ſit ſuâ parte maius; quòd de nullo verum ſit affirmare ſimul & negare, & his ſimilia; quæ ſi quis velit infringere, vt pugnis in eo ac verberibus abſtineas, quibus ſe dignum præbet, iudicante Philoſopho 4. Methapih. nonne proteruo homini, & inſano totius hominum ſocietatis ſenſum communem cùm opoſueris, mutum reddas? Et in cauſa animorum longè præſtantiori, orbe refragante vniuerſo, homuncioni vni aut alteri fas erit contrà mutire?

Præmissæ auctoritatis vtriusque defensio & confirmatio.

CAPVT. IV.

ATenim ad sapientem, inquit insipiens, quid porrò respondebis, cùm Ecclesiastis cap. 3. vnum ait esse interitum hominis & iumentorum, æquámque vtriusque conditionem? Nam quòd per populos & nationes omnes propagata sit immortalitatis spes; præclarum certè illud fuit Regum ac legislatorum inuentum ad coercendas hominũ libidines, suóque in officio faciliùs continendos populos, cùm intelligerent æternum esse à diis immortalibus aut virtuti præmium, aut vitio supplicium constitutum. Egregiam verò petitionem ac robustam? Neque se scilicet satis indicat sapiens

vel tumultuantis turbæ inconſideratum ſermonem expreſſiſſe, vt interpretatur Gregorius; vel deſolo dixiſſe corpore, vt putat Hieronymus; cùm eiuſdem libri capite tandem vltimo hortatur vnumquemque noſtrûm, vt Creatoris memores ſimus ante mortem: *Antequam reuertatur*, inquit, *puluis in terram ſuam, vnde erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Quibus ſanè verbis in rem noſtram, & ad mentem ſuam declarandam, quid potuit clarius? Nonne ſi quâ parte conſtamus corpore, ita ſumus è terrâ, vt hoc ſit corporis diſcrimen ab animâ: & quâ rurſum parte pollemus ſpiritu ita ſumus à Deo, vt hoc ſit animæ diſcrimen à corpore, neceſſe eſt animum in nobis ineſſe à ſolo Deo creatum & infuſum, eúmque ex elementis minimè coagmentatum, quòd eſt immortalitatis eius

certiſſimum argumentum duplex. Suum ergo pondus ac robur hoc loco obtineat indubitata Dei autoritas; neque enim magis eam nobis vllâ parte eripit, quod ex Concilio œcumenico ſexto obſeruantal iqui, in Sophronij Ieroſolymitani literis ſacro annuente conſeſſu, Immortalitatem dici ineſſe in anima non à natura, ſed à gratia: ex ſubiunctis quippe particulis, *verè ac propriè*, éxque coniuncta pariter ibidem Angelorum cauſa, ſatis liquet illud eſſe ἀληθῶς καὶ κυρίως Patrum conſilium, tantùm vt ne mens ſiue humana ſiue Angelica, vitæ perennis ius abſolutum & ſummum habeat, vt diuina!, hæc enim vt illud ſola nulli debet alteri, ſic alijs ipſa cùm impertitur, ſuis tamen legibus obſtrictum tenet. Sed hæc obiter. Nunc quod vltrò concedit aduerſarius, præ

concepta vitæ futuræ longitudine, ſi ſapientibus viſum eſt vti ad rerum regimen; arbitrati ſunt igitur eam tùm illò pertinere, vt bene & ex virtute viuant homines, tum facilè ſuaderi poſſe omnibus paſſim. At falſum profecto neque fieri poteſt vt omnes admittant, neque vt vero ac ſolido virtutis bono pro fundamento ſit. Fateamur igitur oportet veram eſſe ſapientũ opinionẽ ac iudicio certo, ſententiam eam quam vſque adeo tum notitiæ hominum primæ ac communi, tum bonis moribus conuenientem eſſe cenſuerint.

Autoritas Philoſophica ſeu Ariſtotelica anceps, vt videtur, & obſcura.

CAPVT V.

QVemadmodum vbi aut fidei, aut rationi, aut firmo omnium iudicio contrarius eſt magnorum virorum, ſi fortè, aliquorum ſenſus; nihil eſt in eo quod nos à veritatis complexu tantillum auocare debeat; ita profectò neque ſi fauet, ſpernendum eſt vel vnius illorum ſuffragium; magis ne quid roboris ex eo neglectu accipiat error, quàm vera ſententia detrimenti. Prorſus, ſi eſt Ariſtoteli immortalis animus, magnum obſtruetur errori latibulum, ſin autem, nihil detrahet de huiuſce veritatis tanquam ſolis ſplendore, deliteſcens

in meridie ſtella: quanquam eſt & ipſi immortalis, vt auguror: id quod vt planius faciam fatebor ingenuè viſum mihi eſſe aliquando magnoperè dubium hac parte, aut certè obſcurum: non quidem propter temerè ſparſos ab eo varijs in locis, ſeſe mutuò, niſi ſuccurrimus, iugulantes textus; quid enim iuuat authorem eum, qui ſequatur aliquem in dicendo ordinem, ſententiam ántè rogare de re aliquâ quàm pro ſubiectâ materiâ dicenda ſit? ſed magis propterea ſanè, quia libro primo de anima, quæſtionem cùm propriâ velut in ſede poſuiſſet, itáque tex. 13. conſtituiſſet in primis, vt ſi quæ foret animæ intelligentis operatio propria, hoc eſt, non affixa corpori, ipſa quoquei poſſet ab eo ſeparata conſiſtere in rebus: tum quod proprijſſimum videbatur hominis præ animantibus alijs

intelligendi opus, illud cùm affirmaſſet fore illiuſmodi; ſi neque phantaſia ipſum eſſet, neque cum ea neceſſario nexu illigatum; non fore, ſi aut phantaſia eſſet, aut non ſine eâ: de duabus his conditionibus vnam, hoc eſt, primam ita poſtmodum perimit ac delet omninò, vt libro ſecundo pene toto oſtendat aliud eſſe intelligentis opus, aliud phantaſiantis: quod eſt in gratiam ſeparabilitatis & immortalitatis animorũ apertè ſubſumere ſed, malùm, tex. 30. 3. cùm ſpeculantem ait oportere contemplari phantaſmata, iam ecce videtur conditionem alteram aliò inflectere, vt neſcias cui ſe parti addictum velit; mortalem definiat intelligendi vim, quam ſine phantaſmate non obtineat homo an magis immortalem, quæ longè ſit aliud ab eo. In vno enim vt

hæreret, aut altero, debuiſſet vni aut alteri conditionem ſimul vtranique accommodare; quarum proinde cùm vnam viſus eſt diuidere ab aliâ, mentem ſibi quoque varias in partes diuiſam eſſe ac dubiam ſatis nimirum indicauit.

Autoritas Philoſophica ſeu Ariſtotelica certa, vt res eſt, & aperta.

CAPVT VI.

ET ſi grauiſſimum illud ſubeſſe videatur, quod nunc excuſſi, hæſitationis Ariſtotelicæ hoc loco indicium; auſim tamen affirmare vix quidquam diſertiùs ab eo & aſſeuerantiùs traditum. Primùm enim vt à coniecturis initium ducam. Ita ſentiunt de eo celeberrimi quique eius interpretes, tum antiqui, in quibus Sim-

plicius, Philoponus, Ammonius, Olympiodorus, Themiſtius, & Theophraſtus eius tot annis auditor, ſucceſſor in docendo, & librorum hæres, Auicenna & Auerroes; tum mediæ ætatis, S. Thomas, Albertus Magnus, Alenſis, Aegidius, Durandus, Eugubinus, cæteráque eiuſmodi non contemnenda nomina; tum denique recentes ac noui, in quibus prælucent alijs eminentiſſimus Cardinalis Toletus, & Chryſoſtomus Iauellus. Hi omnes cùm poſt impenſos Ariſtoteli annos bene multos, immortalitatem animorum ab eo teneri & defendi pronunciant, nonne magis audiendi ſunt, quàm perditus adoleſcens neſcio quis, cui vix ab ætate aut libidine philoſophiam ante ſalutare licuerit, quàm iuberet valere plurimùm. Deinde quàm bellè morem ſuum ſeruaſſet hoc

loco Philoſophus in vellicandis tex. 49. 1. de anima antiquis, quos ipſe fatetur omnes pro immortalitate ſtetiſſe, ſi quid arriſiſſet è contrario? imo in Platonis rationibus, quas etiam D. Thomas aut ipſas per ſe debiles cenſet, aut æquè fauentes brutis ac hominibus, ſin minùs contentione frangendis, lepore certè eleuandis æmulus laudum magiſtri diſcipulus, vt pro inſtituto verſatus fuiſſet non impigrè? niſi quod ratum habebat & fixum maluiſſet aliorum argumentatione licet inani, ſaltem in ſpeciem confirmatum, quàm ſuâ refutatione infirmatum. At nihil prorſus fecit eiuſmodi, qui totus eſt de cætero in veteri aut Platonicâ diſciplinâ ambitioſiùs euertendâ. quanquam quid coniecturis opus, vbi manifeſta habemus non indicia, aut veſtigia, ſed teſtimonia,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Pluribus sanè locis suam hanc sententiam quàm vllam aliam, palam & apertè prodidit Philosophus. Libro primo Moralium ad Nicomachum, mortuos, ait, etsi non ad felicitatis augmentum aut miseriæ, rebus tamen nostris vtcumque tangi, nimirum, optimâ suî parte, & vt ipse loquitur eiusdem operis libro decimo, secundum id quod in eis diuinum est, ratione & intellectu cùm sint à morte superstites. Libro Metaph. 12. tex. 16. 17. postquam docuit de causa efficiente posse eam suo effectui antecedere, id quod in formalem cadere nequeat, subdit ex occasione, nihil vetare quominus in hoc etiam genere aliqua, hoc est, anima, etsi non ea quidem omnis, sed intelligens, post suum restet effectum ac compositum. Quid quod in libris de anima tam disertè idem asserit & probat fir-

miter, vt qui eum velint aliò trahere, eos Euſtathius & Philoponus non dubitent amentiæ accuſare, & ſane textum 65. primi, nec non conſequentes aliquot bene multos & integros eò confert, vt intellectum definiat non è ſinu materiæ, ante latentem educi, ſed in eum aliunde oriundum inferri, vt probet ne ſenio quidem corrumpi, licet corrupto organo à ſua functione deficiat; vt intellectionem denique & contemplationem non communem cum corpore, inſtar recordationis & amoris, ſed propriam animæ operationem eſſe contendat; quod poſtremum cùm dixit, quî potuit enucleatiùs ſeparabilitatem, adeóque immortalitatem animæ ſuo confirmare ſuffragio, ſatis ſuî memor cum diceret tex. 13. eiuſdem libri; oportere eam illi conuenire ſi quæ foret ipſius operatio

propria; qualem nunc cum declarat aliquam esse, quid tandem mentis habet, aut nos arbitratur habere, qui calamum sensu pro atramento tinxisse dicitur, nisi vult nos intelligere immortalitatem animæ à se constitutam, aut omnia in dubio posita.

Continuatio eiusdem argumenti.

Caput VII.

EXscribendi essent à capite ad calcem reliqui duo libri de anima, si recitanda forent huius generis testimonia singula. Libro secundo hoc nominatim præstat Philosophus, vt de illa cõditionali primi; *Quod si intelligere est imaginari, aut non sine eo, nulla sit eius operatio propria*, adeóque non separabilis anima intelligens; sit autem si quid contrà fiat; primâ illâ conditione sublatâ ex eo iam inci-

piat proprietatem operationis, & ſeparabilitatem ſubſtantiæ inſinuare, quod intelligere & imaginari duo eſſe probet longè diuerſa ab inuicem. Sed apertiſſimè libro tertio. Ac primo quidem, de intellectu tex. 3. aliàs c. 5. pro varijs librorum ſectionibus, docet quòd ſit impaſſibilis, tex. 4. quòd minimè mixtus, tex. 6. quod inorganicus. tex. 7. quòd longè magis impaſſibilis, quàm ſenſus; tex. 11. quod ſecretus à materia. tex. 15. quòd ex eâ immunitate materiæ intelligibilis ſit vt intelligibilia; quæ quidem omnia ac ſingula immortalitatis eius ſolida ſunt argumenta. tex. verò deinde 20. cùm de intellectu agente. Et hic, inquit, ſeparabilis eſt, & impaſſibilis, & non mixtus. Tum. Separatus autem eſt ſolùm hoc ipſum quod eſt. Et hoc ſolum eſt immortale ac perenne. Pergit. Non

recordamur autem &c. Obiectio eſt quâ ſeſe ipſe vrget acriùs in hunc modum. Si ita res haberet de incorruptibilitate intellectûs, vnde ergo naſcerentur lapſus memoriæ, quos toties experimur? & reſpondet ſcilicet, eos inde naſci, quod intellectus non quidem agens ſiue formans, aut patiens ſiue recipiens ſpeciem expreſſam, ſed paſſiuus, hoc eſt, potentia quędam ſenſitiua proximè intellectui ſubſeruiens, indéque nomine illo gaudens, ea demum corruptibilis ſit, quâ corruptâ, neceſſe eſt obliuionem in intellectu fieri eorum, quæ ipſius ope ac beneficio intellexerat, (ſi quidem memoria non eſt noua intellectio, ſed repetitio antiquæ) atque adeo ſenſibilium omnium, de quibus ſine paſſiuo intellectu illo nihil prorſus intelligimus. Locus eſt præterea inſignis cap. 3. lib. 2. de genera-

tione animalium, vbi Philoſophus diſertè & exploratè diſcrimen hoc affirmat eſſe inter animam hominis & plantarum aut pecudum; quòd plantarum & pecudum actio cùm ſit corporea, omnino non poſſit, quæ actionis illius principium eſt vegetatiua anima aut ſenſitiua, ſine corpore eſſe; quid enim? an tunc ambularet ſine pedibus ſenſitiua? aut ſine radice & trunco, & ramis vegetatiua vireſceret? poſſit autem mens humana, eáque ſola extrinſecùs accedat, hoc eſt non ita ſit in corpus recepta, quaſi in domum, extra quam non pateat ei poſtmodum ad ſubſiſtendũ locus. Nihil enim, inquit, actioni corporeæ cum eius actione commune. Ita eo loci Ariſtoteles, ex quo ſi verba hæc vltima ad tex. 13. 1. de Anima ſuprà allatum referas, intelliges doctrinam eius de immorta-

litate, ita apertè cohęrere, vt diſſolui nullo modo poſſit. Hęc ergo veriſſima apertiſſimáque Philoſophi mens quam ſi tam apertam & patentem haberemus in multis, haud dubiè nihil eſſet, quin æquam claritatis ac ſubtilitatis laudem videretur promeritus. Sed tamen neſcio quâ ſorte fit, vt tenebricoſum quid in ſole meridiano videre ſe nonnulli putent.

Solutio Obiectionum.

CAPVT VIII.

AVerroes, is quem ab explicandi Ariſtotelis labore improbo, Commentatoris nomine dicunt, cùm intellectûs incorruptibilitatem aſſerendam eſſe aduerteret, aut deſerendum vbique Philoſophum; ne vllo fortè veritatis ſenſu ab eâ vitæ ac morum corruptelâ reuocari inciperet,

quam ſibi propoſuerat cùm de Chriſtiano Iudæus, de Iudæo factus eſt Mahumetanus, commentum tandem nobis ſuum ingeſſit, de intellectu aſſiſtente, tam ineptum per ſe & à ſenſu communi abhorrens, vt vix autorem vnũ reperias conuenientem cum altero in eo vtcunque exponendo; dum ſinguli ſcilicet enituntũr ei aliquam probabilitatis vmbram affingere, quâ penitus caret. De illo ergo intellectu, quem facit eundem eſſe cum diuino, interpretatur ridiculè textus illos omnes in quibus Philoſophus immortalitatem aſſerit; ac nominatim 20.32. iam explicatum, quem totis viribus conatur nobis eripere; quamquam id quidem fruſtrà. Primò enim miſceret cœlum terræ Ariſtoteles, ſi aliud nihil præmuniens, ab intellectu creato, & humano de quò ibi ex inſtitu-

to, vt legenti patet, transferret ſermonem ad increatum & diuinum: deinde tex. 17. præcedente cùm vt diſtingueret Agentem à Patiente, aſſumpſiſſet, quòd in omni natura ſit vnum agentis, aliud patientis inſtar, quàm ineptè deinceps pro intellectu agente quem oportebat ex illo principio in humana natura reperiri, intellectum aſſiſtentem, hoc eſt, diuinum extra eam aſſignaret. Denique quod ſuggerit eruditè D. Thomas. Agentem illum intellectum ex eo illic Philoſophus, tanquam à fortiori, à minori ad maius, vt loquimur nunc, arguit eſſe ſeparabilem, non mixtum aut patibilem; quòd vbique melior ſit ac nobilior agentis quàm patientis, principij quàm materiæ conditio; ex quo neceſſe eſt intellectum poſſibilem qui eſt patientis ac materiæ loco, ab eo ſimiliter ſeparabi-

lem conſtitui, non mixtum aut patibilem; certè enim alioqui quæ vis eſſet argumenti. Præſtat patienti agens intellectus; ergo ſeparabilis, non mixtus, aut patibilis eſt hic, niſi de illo iam idem dici velis: aut quid vetaret quominus poſſibili agens, etiam cum inſeparabilitate, mixtione & patibilitate cóiunctus præſtaret alijs nominibus? Hinc autem nemo non videt ſequi, vt quantumuis obtineret Auerroes, quod petit iniuriâ, mentionem fieri tex. illo 20. ſeparati cuiuſdam intellectûs, quodcunque ei nomen faciat, reſtet tamen ſemper ac ſuperſit homini immortalitatis ius, beneficio alterius ex oppoſito ſtantis, quem ipſe fatetur reſidere in homine, Philoſophus vero tam diſerte facit immortalem, vt ex eo dignitatem eam deriuet in primũ. Atque hîc quidem obfirmatus

in insania Commentator nescio quid ad huc pro se excogitat : sed hominis est sapientis magis quàm contentiosi, vbi lux veritatis affulsit, ad eam se adiungere, spretis antiqui erroris nubeculis, quæ sponte sua statim euanescunt, vt mentis acié intenderis. Est porro locus tanta luce in autore suo circumfusus, vt pene me pœniteat operæ etsi non magnæ in eo illustrando positæ. Profitetur singillatim Philosophus velle se in anima, vt in tota natura reliqua intellectum agentem siue qui sit actu, reperire ex opposito patientis, siue qui potestate. Et hunc mox cum assignat, Auerroes propterea facit separatum ab anima, quia immortalem ac perennem audit nuncupari. Lepidum caput, sed inane cerebri.

Continuatio

Continuatio eiuſdem argumenti.

CAPVT IX.

ETſi ſatis intelligo poſſe me pari iure ab aliorum obiectionibus refutãdis abſtinere, quo ab importunitate Auerrois iam diſceſſi; cùm non minùs, imò magis euidens ſit Ariſtotelem præciſè, quàm textu illo *32. 20.* nominatim pro Immortalitate animorum ſtare; tamen, niſi moleſtum eſt, lubet hoc capite, duo breuiter exequi. Primum, vt moneam generatim, ſi quid alicunde in contrariam partem affertur; totum id Philoſophum more aut occaſione diſputationum aliarum, loco non ſuo, dixiſſe hæſitanter, potiùs vt dubium moueret, quàm vt quidquam aſſereret; aut abundè correctum & emendatum ab eo, dum in libris de anima tam apertè

vt vidimus ad veritatem hanc locutus eſt. Nam quòd eam aliqui contendunt nonnullis eius principijs non ſatis conſentaneam; cenſeo vt homines minimè mali hac ſe curâ liberent, quódque Ariſtoteles palàm profitetur, id pro eius ſincero ſenſu accipiant, interea dum fas ſit aliquando hominem ſciſcitari, quâ tandem arte ſuarum inter ſe opinionum nexum velit defendere : defendet haud dubiâ, cùm facultas fuerit, niſi hoc eum iam onere ſemel liberauit D. Thomas, cum aduerſus eos qui ſe putant in æternitate mundi fictiâ, quam tamen poſuit Philoſophus, ínque immortalitate animorum verâ eam reperire, ſubſtantiarum ſcilicet ſpiritalium infinitudinem, quæ principijs peripateticis quadrare non poſſit; obſeruat egregiè S. Doctor, principium quidem eſſe peripateticum,

vt in corporibus nihil ſit aut poſſit eſſe infinitum actu, non tamen vt in ſpiritibus: Nam tertio phyſico, quod ait ſeparatum à ſenſibilibus haud poſſe infinitum eſſe, ne quéquam fortè in fraudem inducerer, déque intelligibili infinito videretur inficiari, quod contra Pythagoram ibi de corporeo tantum à ſenſibili materia abſtracto negat, ſubiungit paulò poſt, vnde doctoris Angelici reſponſum ex ipſius mente eſſe manifeſtè colligat lector; ſed hęc pluſquam ſatis. Aliud eſt hoc loco mihi propoſitum de illa occaſione dubitandi ſecundùm Ariſtotelem, quam capite 5. attigi. Ex Philoſopho, inquiunt, in primo de anima, ſi intelligere non eſt ſine phantaſia, nulla eſt intellectûs operatio propria, neque proinde ſeparabilis ipſe. At ex eodem rurſum non eſt ſine phantaſia intelligere; ſiquidem

ſpeculantem oportet contemplari phantaſmata, vt loquitur tex. 30. 3. quid ſequatur nemo non videt. Profectò, ſi quod præcedit ſineretur ita vt iacet abire, ſed eſt quod moram obijciat. Illud enim cum exceptione dum dicitur, ſi intelligere &c. clarum eſt quòd de cuiuſcunque tandem rei intellectione debeat intelligi; ſatis enim eſt animæ ad propriam ſibi vendicádam actionem, ſi modò vel vnicâ reintelligendâ poſſit occupari auulſa à phantaſmate, hoc eſt, ſine eo. Illud idem auté cum ſimpliciter dicitur ac præciſé; quòd ſpeculantem oporteat contemplari phantaſmata, de ſenſibilium ſpeculatione ſumi debere, ipſe ſi intelligitur, apertè confirmat Ariſtoteles loco ex eo citato. Paralogiſmus ergo eſt ambigui diſtinctione cauendus diligenter, cùm dicunt: Si nihil poteſt mens hu-

mana ſpeculari, quin contemplentur phantaſmata, ſeparari non poteſt à corpore, quid enim ſeparata faceret, detracto phantaſmate? Atqui ex Philoſopho cùm ſpeculantem oporteat contemplari phantaſmata, nihil poteſt ita ſpeculari vt dictum eſt. Hîc ego ſuam alijs reſponſionem vt relinquam, mentionem eſſe Philoſopho in axiomate illo tantùm de homine, aut de animâ adhuc informante; iilud conſtanter oppono, dixiſſe duntaxat de ſpeculante ſenſibilia; proindeque fallaciam ſubeſſe argumento, procedentium vt loquuntur à dicto ſimpliciter ad dictum ſecundū quid; neque enim ſi nihil ſenſibile ſpeculari poſſum ita, vt abſtineam à phantaſmate, quod vult vnicum Ariſtoteles; ſequitur continuò nefas mihi eſſe quidquam abſolutè ita ſpeculari, quod habet concludere aduerſa-

rius, nisi vult operam perdere. Restat vt explicemus quid sit, cur dictum illud Philosophi ad sola sensibilia reuocandum esse videatur. Id porrò quia in hac disputatione totâ permagni ponderis est, neque hactenus, quod sciam, vllus visus est obseruasse, ex triplici capite repeto ac ostendo. Principiò, quid sibi vult aliud ratio illa axiomatis his consequentibus proximè verbis in textu Philosophi contenta. *Nam phantasmata sunt vt sensibilia.* Obsecro, quid illud aliud est, quàm quod esse contendo? *Propterea speculantem oportere contemplari phantasmata* quia ipsa sunt vt sensibilia, hoc est, vice obiectorum sensibilium. Speculantem, inquit; quæro quid tandem? si respondet, sensibilia, meus est; si quiduis. Contra, quid opus phantasmate speculanti purè intelligibilia? nam de sensibilibus,

intelligo quidem ac probo quod allatum eſt cauſæ, cùm ipſorum vice ſint phantaſmata, hoc eſt, in ſpeculante ſenſibilia inſtar habeãt obiecti immediati, ſine quo qui ſpeculandi modus? ſed ſpeculatorem purè intelligibilium, quid attinet illigare phantaſmatis? Id verò cùm quæſiero, quid reſpondebit pro ſe philoſophus? An intelligibilium illorum ſpeculationem nullam eſſe, ſed eam ipſe toties commendat, & niſi commendaret, aut reciperet, exſibilandus eſſet & explodendus. An aliquam quidem eſſe dicet, ſed eam homini extra ſenſibilia incognitam? verùm, id certè non poteſt hoc loco exploratè dicere, quod mox oſtẽdam ab eo hinc aliò ad inquirendum reiectum eſſe diſertiſſimè. Reuertatur etgo ad reſponſum quod dixi meum eſſe, ſermonem hîc ſuum in ſenſibilibus duntaxat

verſari; cuius quidem rei alterum veſtigium teneo minimè occultum in his tex. 29. hoc eſt proximè præcedentis verbis. *Quia verò res nulla eſt præter magnitudines, vt videtur, ſenſibiles ſeparata.* Quid ſibi vult rurſum in homine ad intelligendum acri, nec eo ſanè verboſo, præmunitio hæc? Nouit profectò aliquid eſſe in rebus præter magnitudines illas ſeparatum, aut ſua ipſi Metaphyſica prorſus exciderunt. Cur ergo illud ex triuio aſſumit, vt ſe inde aſſumere ſatis indicat illâ verborum formulâ, vt videtur, niſi quid μυστικώτερον latet quod ſit huiuſmodi. Proferendum axioma volebat in vulgus gratioſum eſſe, nec illud ſanè diſplicere ſapientibus, aut veritati officere; totum id vt obtineret, videte quid conſilij. Intellexit acutè, pronunciauit vulgariter, *Speculantem oportere contemplari phantaſmata*; quod

plebecula quidem accommodatè ad popularem intelligentiam, de ſpeculatione ſenſibilium ſic tanquá rerum omnium ex illis antecedentibus verbis explicaret; ſapiens verò cum exceptione purè intelligibilium iuxta rei veritatem ex ratione ſequentibus proximè in textu, verbis comprehenſâ, iámque à nobis expenſâ accipiendum intelligeret; ſic autem omninò vt conſtaret vtrinque interpretatio noſtra; ex præmunitâ ad dicendum viâ, éxque ipſâ probatione dicti Erit fortè cui veniat hîc aliud aliquid in mentem, de abſtracto Pythagorico, de quo ſuprà obiter; ſed id quia nihil video cur huc pertineat, non me morabitur diutiùs, quod etſi cũ huius loci ſententia quadraret, nihilo tamen minùs ſuffragaretur nobis cum primo tertium quod ſubijcio reſtringendi axiomatis ex mente

Philoſophi indiciũ ſatis, ni fallor, euidens. Textu enim præcedente vigeſimo ſexto, ſermonem hunc priuſquam attingat, ita loquitur. Vtrum autem fieri poſſit vt aliquid ſeparatorum intelligat ipſe cùm non eſt ſeparatus à magnitudine (hoc eſt, intellectus humanus nondum ſolutus à corpore) an non, conſiderandum erit poſtea. Nunc autem &c. Vides vt de ſubſtantijs ſeparatis intelligendis, quæſtionem aliò reijcit, metaphyſicam certè, vt interpretatur D. Thomas, ad Metaphyſica; de quâ proinde grauiſſima controuerſiâ ante altercationem ipſam, ne hîc inſulſé reſpondere videatur; quod mox ſubdit de phantaſmate ſpeculanti neceſſario, noſtrum eſt vt referamus ad ſpeculantem ſenſibilia dumtaxat, quoniam quidem de purè intelligibilibus ſiue ſubſtãtijs ſeparatis profitetur expreſſe

nondum à ſe dici, an omninò intelligi poſſint ab anima coniuncta corpori; tantùm abeſt, vt de modo intellectionis eorum quidquam hac parte ſtatuere velit. Maneat igitur intimis infixum ſenſibus, vt peruagatum illud ex Ariſtotele cùm inclamarint aduerſarij. *Speculantem oportere contemplari phantaſmata*, meminerimus de ſpeculante ſola ſenſibilia intelligendum eſſe, ne ipſi Ariſtoteli, cuius laudatur autoritas eodem ipſo loco tripliciter aqua hæreat, vnde contrario nobis impetu eam deriuare conantur homines, ſi fas, minimè mali. Neque porrò quenquam moueat, quòd me propemodum mouit cum aures hîc meas impulit verbum illud ex ore Philoſophi: *Intelligibilia in ſenſibilibus eſſe etiam ea quę in abſtractione dicuntur*; cohorrui, vt verum fatear, metu non exiguo, ne ſi illæ

eſſent quas ſubſtantias ſeparatas dicimus, periret mihi funditus reſponſionis huius & explicationis labor; ſed vt me collegi, intellexi ſcilicet, ſapientiſſimè ab interpretibus pro Mathematicis hęc accipi, quæ ſi de alijs acciperent, non modò Ariſtotelis linguam minimè callerent, ſed neque propter ea quæ iam nunc dicta ſunt, mentem ſatis ſanam tueri poſſent in eo homine, qui quo loco rem definiebat, incertam ſibi eſſe diceret & diſputandam alibi. Atque hæc paulò fuſiùs diſputare volui, non quò, vt antè dixi, reſponſionem eorum nutantem oſtenderem, qui pronunciatum Philoſophi, de omni quidem ſpeculatione humanâ explicantes, eam tamen excipiunt quæ eſt poſt hanc vitam; ſed vt deſinerent aliquando aduerſarij in immortalitatem animorum peripateticis

machinationibus insurgere, quibus disputationis totius aries aut Achilles tam multis modis pareret inutilis.

PARS SECVNDA.

Ratio Extrinseca.

ALius moralem fortè vocet, magis ego malim dicere extrinsecā; quia rationes morales ita solent physicis plerúmque ex aduerso opponi, vt certitudinē illis relinquentes, sibi probabilitatem tantùm retineant: habeo verò in hanc partem rationes eas conijciendas, quas cùm certissimas putem, extrinsecarum tamen nomine complector idcirco, quod aliunde repetantur, quàm ex ipsius animæ naturâ, & quasi causæ visceribus, vnde sese dabunt in lucem, Deo fauente, quas tertiâ parte dicemus intrinsecas.

Ratio prima, Dei Prouidentia.

CAPVT I.

SI Deus vllus eſt, quod horret animus non aſſeuerantiſſimè dicere, rerum eſt humanarum ita prouidus, vt ſuam vbique ac ſemper virtuti mercedem, ſuum vitio in vitâ, vel poſt mortem ſupplicium conſtituat. Certum autem eſt quòd paſſim ac ſæpè non conſtituit in vita. Reſtat ergo vt poſt mortẽ; ſaltem aliquando; id quod fieri cùm nequeat, niſi ſuperſtes viuat corpori animus. Aut Deus nullus eſt, quo quidem in verbo rumperentur vniuerſa niſi ab eo continerentur qui verè Deus eſt, aut ſuperſtes viuit corpori animus & immotalis eſt.

De ratione hac ita corformatâ quam partem labefacere aggredietur impius ? Negabit conne-

xam eſſe Diuinitati prouidenti ã? ſtupiditatem ergo, aut malitiam eiaffinget, ſeſéque fungo ac ſtipite hebetiorem oſtendet, cùm Deum reuerebitur ſuî contemptorem, aut ignarum. Inficiabitur ad prouidentem ſpectare vt malos puniat, bonos remuneret? Rerum ergo publicarum omnium leges euertet ac fundaméta. Contendet ſuum vnicuique in huius vitæ curriculo, conſtare pro merito? vt neque ſuæ ſortis ſin minùs linguâ, quam habebat reſectam, ſaltem mente conquerendæ ius vllum habuerit Agrigentinus vel vnus innocens, cùm eum ſuccenſis ignibus torrebat Phalaridis taurus; neque iuſto caruerit ſupplicio peruagata illa Herodis crudelitas, quam vitâ ſuâ diuturniorem auebat ac iuſſerat eſſe in totius iudaicę nobilitatis ſanguine fundendo. Quid ſibi volunt igitur inſani cla-

mores illi, quos ipſe cùm ſuî ſimilibus in cœlum ſtatim tollit, vt quid aduerſi contigerit, & ore importuniſſimo dolorem ſuum aperiens.

Aut hęc (inquit) *oculis Deus aſpicit ęquis.*

Quid igitur? ſomniabit pereunte cum corpore animo, locum tamen eſſe ſupplicio hominum ac mercedi cum è vitâ exceſſerint? an Deum è medio tollet? an denique immortalitatem admittet? ſi poſtremum iſtud præſtabit, ſapiens erit; ſi primum, ſtultus; ſi ſecundum, acerrimo omnium odio digniſſimus. Eligat de tribus ecquod velit. Audio; hæret in ſecundo; in quo vt ne ſibi blandiatur tanquã primi notam effugerit; etſi non eſt huius loci diſputatio hæc; ſuas tamen vires ſi auet experiri. Deũ eſſe poſſe ἀδύνατον eſt, aut non? ſi ἀδύνατον, proferat cur, ſin autem nihil

nihil proferre poteſt, cócedat eſſe poſſe fateaturque reuera iam inde ab æternis temporibus eſſe, quoniam quidem in neceſſariis, cuiuſmodi eſt ens primum ac diuinũ, intelligunt omnes ſimul eſſe actum & potentiam, nec fas eſſe putant aliquando eſſe poſſe cum non ſit, quod ſi neceſſarium eſt, iam ex eo neceſſe ſit ſemper eſſe quòd numquam potuerit non eſſe: quâ viâ vim huius argumenti effugiet impius? Contradictioné excogitabit aliquam? vt ei naturæ facultatem exiſtendi eripiat, ſine quâ qui intelligit aliquid omninò exiſtere, effectum ſine cauſa dat. an quod magis puto, iniquè ſecum agi dicet, déque reſpondente peruerſè probantem fieri? at quiſquis es, mi homo, attende ſis. Nonne hic eſt liberaliſſimus agendi modus ac diſputandi, vt in vnaquaque controuerſia, propria ac ingenita

quæſtionis ratio vrgeatur? Ergo cùm alia nulla ſit poſſibilitatis vllius aut impoſſibilitatis rerum cauſa, quàm contradictionis negatio, aut affirmatio, quid mihi faciendum putas? vt te méque ſine fructu fatigem ſexcétis exſufflandis contradictionum vmbris, quas cùm omnes perſecutus fuero, nouam ſemper & inauditam fingas, ne vnquam videar negaſſe aut refutaſſe ſingulas? An vt breuiùs ac preſſiùs abs te affirmari poſtulem, quod cùm nequiueris, abundè me negaſſe intelligas? Atque hæc mihi aliquando ratio aut argumentandi forma viſa eſt, fortè non iniuriâ, hoc nomine firmior ac robuſtior, quòd eam cùm honeſtiſſimo viro ac ingenioſiſſimo proponerem, nec ſatis arrideret ipſi, neſcio cur; nihil tamé aliud potuit opponere, niſi vt contenderet propriam poſſibilitatis rerum ra-

tionem ex coniunctione terminorum eſſentialium eſſe repetendam; cui cùm ſubieciſſem protinus coniunctionem eam ipſiſſimam illam eſſe poſſibilitatem, cuius ratio in diſputationem veniat, obmutuit. Et ſanè quid aliud eſt poſſe verbi gratiâ, rationem cum ſenſu copulari, quàm poſſe hominem eſſe? neque verò illud vbi attuleris, fas tibi putes, tanquam huius cauſam aſſignâris, ita gloriari, aut de gloriatione tuâ illud certè dicam Auguſtini, *Valde ſtulto homini placet qui ſibi placet.* Non enim hominis eſt ſapientiſſimi, rei alicuius cauſa dum quæritur, rem ipſam alijs tantum verbis circumueſtitam, ne videatur eadem, proferre in medium. Sed hunc, inquam, locum nolim vrgere fuſiùs, hoc vno ab aduerſario contentus, ſi modò agnoſcat quod ſole clariùs oſtendi; aut diuinitatem ab-

iudicandam, aut immortalitatem homini esse concedendam. Nam qui fortasse scrupulus compotem rationis aduersarium ex antedictis angeret. Malè obluctantur aliqui, propterea que contẽdunt alterius vitę aut supplicio, aut mercedi, nihil loci relinqui, quia quicunque sit rerum humanarum ordo, aut perturbatio, cum virtus sit se ipsâ contenta, vitium contrà seipso infelix, vigere videtur vbique iam nunc prouidentiæ diuinæ sapiens institutum, & habere ante mortem vnusquisque quod vel gemat improbus, vel gaudeat probus. Malè omnino illud ingeritur; primò quoniam, id si verum esset, tollendæ iam essent ex hominum cœtibus quęcunque sunt de pœna aut mercede leges, & vnicuique suo arbitratu permittẽda viuẽdi potestas; deinde, quia si quid est in virtute aut vitio ad

compenſationem aut pœnã quod abundè ſit, certè in hoc metus futuri poſt vitam temporis, in illâ verò ſpes, vt vel ex eo liquet, quòd illâ maximè ſe cogitatione ſuſtentari in malis boni, torqueri in bonis mali, ipſi ſibi intra ſe teſtes ſint; quæ ſi aut hos feliciter aut illos infeliciter falleret, nulla capitalior poſſet eſſe à Deo iniuſtitia: vnde fit vt quacunque ſe res vertat, ablatâ nefariè immortalitate homini, vniuerſitati quoque rerum aut ſuus ſit eripiendus autor & gubernator, aut ſua ipſi in gubernando & adminiſtrando ſapientia ac æquitas ſumma.

Ratio ſecunda, excellentia noſtra & præſtantia animantium reliquarum.

Caput. II.

Non me fugit, ſed neque quicquam mouet indigniſſima

aliquorum hoc loco opinio, qui ſe ne cogantur immortales agnoſcere, ad pecudum ritum abijciunt, neque admodum ipſis rationis vſu ac intelligentiæ voluntant eferri: de ſe porrò quod ipſis integrum eſt, dum ita magnificè ſentiunt, ne alijs omnibus præiudicio ſint; ſuſtineant aliquantiſper ſapientum perſonam, & hoc ſecum interim ſtatuant, quod nemo niſi ſtultus in dubium vocet. *Antecellere hominem beſtiæ ad naturæ dignitatem & honorem, nec ei niſi iniuriâ poſtponi tandem poſſe aut æquiparari.* Id ſi modò ratum eſt ac fixum, de immortalitate animorum confecta res eſt. Nam vt taceam inumnera, quæ quàm multi diſputant, dum ſe queruntur in natura nouercam, pecudes matrem habere optimam. Nonne quo eſt alicuius conditio melior, & honorabilior dignitas, hoc in

fruitione bonorum, præſtare debet alijs? ſanè, cùm felicitas ſi quæ ſit, honorabiliſſima déque rebus omnibus longè ſit optima. Atenim ſi nobis pereunt cum corpore omnia; vide quàm multis nominibus, de fruendo bono neceſſe ſit hominem concedere belluis, adeóque de præſtantia & dignitate naturæ, quam ſibi proinde ſi vendicare velit, animo quoque ſuo immortalitatem debeat aſſerere. Ac primò quidem expectationem explent deſiderij, imò & capacitatis ſuæ amplitudinem brutæ animantes non paucæ, putà leo in cauerna, ſus in ſtabulo aut equus, pro quibus quid melius certè voueas ac ſublimius? Inter homines autem, qui nihil vnquam fruſtrà in optatis habuerit & votis, nemo inueniri potuit, niſi ſi cuius fortè orſa & conſilia fuere cum beſtijs omnia; & hic

quando ſe ab humano cœtu ſegregauit, reijciatur certè ad belluinũ; nemo, inquam, inueniri potuit aut poterit homo, quin deſiderij ſui, vt & capacitatis partem aliquam vacuam eſſe conqueri iurè poſſit: de capacitate quidem vel inde manifeſtum eſt, quòd hactenus quadraturam circuli nemo ſit inuentus vnus qui teneret, quam tamen omnes inquirendo capere ſe poſſe declarát: in ipſo autem deſiderio quis non ſimul intelligit quanta ſit vacuitatis alicuius & velut hiatûs neceſſitas, capacitatis huius quantumuis inexplebilis vaſtum ac ingentem ſinum, cùm æquare debeat, aut mutilum eſſe ac imminutum. Secundò, in fruẽdo bono, quod eſt, valde carè æſtimandum, quàm ſunt ſine curâ pecudes? Profectò quantùm ſine cognitione futuri; vt dum auis bene farta aërem volatu ſecat

non ad eſcam, ſed ad voluptatem, in eo ſine metu vllo conquieſcat, luſcinia pariter in cantu, equus in curſu, in venando canis. Homo verò quia præter incóſtantiæ rerũ experientiam, diſcrimina temporum nouit, ínque futurum proſpicit, ſi quod habet bonum, paruum eſt, ſitim eius non extinguit ſed accendit; ſi magnum, in metu eſt, ipſi ne pereat; ſicque paruitate & timore magis eum cruciat quàm bonitate delectat. Denique, vt ne diutiùs miſerias noſtras perſequar. Pax eſt bonorum velut omnium cumulus. Pacem ſuam habere dixerim brutas animantes, in quibus conſpirant ad vnum omnia, neque pars eſt contraria parti. In homine verò quanta diſſenſio carnis non modò iam corruptæ ab Adamo, imò & ſibi reſtitutæ aut relictæ quanta cum ſpiritu rixa? ſed hæc miſſa fa-

cio, quæ nemo inficiatur, affirmant omnes; quod pauci ac soli sapientes ex his colligunt, hoc vrgeo, & contendo; satietatem hanc, securitatem & quietem nisi qui volentibus ac merentibus repræsentaret in futurum, alius esset quàm huius vitæ cursus, beatiorem fore adeóque præstabiliorem, quàm hominum, cæterarum animantium sortem; id quod ne contra veritatem dixeris, immortalitatem certò expecta quisquis te à bestijs viuendo segregas. Nam quod responderi posset, vel punctum temporis bene & ex virtute aut ratione transactum optabilius esse totâ vitâ pecudum; id quidem verum esse puto, sed cum ea exceptione, extra quam, vt iam prænonui, si minimè fallax est incredibilibus virtutis ac rationis gaudijs, tacitè incluſus immortalitatis sensus; quo quidem si esset homi-

ni cum vita excidendum, præstaret haud dubiè certo bonorum præsentium apparatu cum bestijs oblectari, quàm inanem rationis spem consectari ac virtutis. Vnde fit, vt quidquid contra ista dici possit aut fingi, nisi ad futuram & æternam vitam prouocemus, illatam pecudibus honoris & dignitatis litem protinus perdamus cum expensis, neque se possit vllus muribus anteferre aut ranis quin sibi immortalitatem proponat.

Ratio tertia. Descripta à natura virtutis officia & sanctitatis eximia.

Caput III.

ET si alicui fortasse censebitur hæc ratio ex virtute repetita, dicendáque intrinseca; tamẽ quia vt stultorum quàm sapientum numerus est longè maior, sic pluri-

bus abeſſe quã ineſſe credenda eſt illa virtus ipſa; dicatur nunc extra animũ eſſe, cui ſedes in eo debetur quidem ſemper, rarò tamen conceditur. Quidquid ſit, ita nunc philoſophari lubet. Si perfectam nobis virtutem natura commendat, eáque in terris lege viuimus, vt nullo vnquam caſu fas ſit officium deſerere, id quod eſt per ſe euidens & conſtans apud omnes; alterutrum neceſſe eſt ab eadem natura eſſe comparatum ac inſtitutum; vt vir probus aut in omni rerum omnium & conſiliorum euẽtu, intra huius quaſi vitæ cancellos concluſum videat, quo fortunæ tela ac ludibria, quo eorum cum quibus viuit ſpernere poſſit iniurias; aut felicitatis ſuæ ſpem in futuri poſt mortem temporis æquitate poſitam habeat. Primum illud præterquam quòd paulò antè reiectum eſt à nobis, ac refuta-

rum, cùm experientiâ pugnat. Iobo enim profectò inter veri Dei cultores, Mutio Scæuolæ inter paganos, Machabæorum Matri in Iudaismo, inuicto illi Christiano de quo S. Hieronymus magnificè commemorat, quid poterat esse in hac vitâ propositum, quo constantiam in sterquilinio, in medijs ignibus, in filiorum effuso sanguine tres primi tenerent, quartus sibi linguam radicitùs amputaret, & pudori suo palàm insidiantem lenam nouo armorum genere peritus iaculator à se propulsaret? Debuit ergo, quod est alterum diuisionis membrum, huiusmodi heroibus & eorum similibus non author modò naturæ Deus, sed ipsa quoque per se æternum quid & fixum, póstque mortem lætabile ad spem ostendere, nec in illis extremæ fortunæ angustijs tam seueras fortitudinis, pietatis tum pa-

triæ tũ diuinæ, & caſtitatis leges, iubere potuiſſet, quas ſolis rectæ conſcientiæ ad exiguũ tempus durantibus delicijs ſuaderet. Vnde conſequens eſt vt non tantùm ſi Deus eſt aliquis, vt ſuprà intellexi-mus, neque grauiſſimis rerum omnium apertiſſimíſque teſtimonijs fides eſt a broganda; ſed & ſi quæ natura iure ac ratione conſtituta, ſi quę nobis eſt ab eâ virtutis ſemper amplectendæ, & officij nullâ in te deſerendi neceſſitas impoſita, neque ſunt ſocietatis humanæ fundamenta omnia funditùs euertenda; ſit huius breuiſſimę vitæ finis, alterius in omne æuum propagandæ principium. Concludamus igitur in eam aliquando ſententiam; vt quando morum noſtrorum honeſtas perpetua ac decentia immortalitatis ſpe ita ſe ſuſtentat, ac fouet; quàm æquum eſt hominem rectè ſem-

per viuere', tam certum ſit ipſum ad immenſa æternitatis ſpatia viuendo pergere, moriendo peruenire.

Ratio quarta. Immortalitatis ſpes virtutum, deſperatio vitiorum omnium blanda conciliatrix.

CAPVT. IV.

NOn ero in huius argumenti, quod ſe ex præcedenti prodit, explicatione fuſior; non enim video, cui poſſit eſſe difficile ita argumentari; vt non modò ex eo ad inſtitutum noſtrum concludat, quòd ſpoliata immortalitate natura in difficilioribus humanę vitæ caſibus, quemadmodum iam dixi, non poſſet pro ſuo iure, quod tamen facit, tam excelſa virtutum facinora nobis imperare, ſed ne in quotidianis quidem exigua ſuadere & communia, de quibus

nunc aggredior dicere. Intelligite quod aio quotquot estis vspiam voluptatum vestrarum libidinibus nondum venditi atque mancipati. Si homines sumus, si quid à bestijs discrepantes, ita nati sumus omnes, vt nata quoque nobiscum sit seruandæ in quotidianâ vitâ honestatis obligatio, vtque proinde magna nobis ad eam inuitamenta natura nostra in sinu afferat, siquidem quò propendemus ab ortu, suaue est id totum & dulce; In sinu dico, vt ab eo discedam onere, quod ei Adamus velut iniecit in humeros. At si solutus à corpore animus sponte suâ fertur iam in nihilum, contrarium eueniet, ac quisquis intelliget vitam sibi non ad plures, sed passim ad pauciores annos, quàm bestijs concessam, post longè grauissima fortunæ incommoda, præpropera morte perdendam esse fun-

dirus

ditus cùm ſeſe in omne ſcelus ac flagitium effuderit, turpitudinis ſuæ excuſationem hanc afferet fortè non inſipientem, aut improbabilem; quòd ſi ſe natura voluiſſet abſtinentem, ſuóque velut patrimonio contentum, dum aërem hunc eodem cum beſtijs ſpiritu ducit, purioris haud dubiè alicuius vſuram in poſterum tempus ac ſempiternum ſibi quoque reſeruaſſet; nec videatur æqua partitio, quâ brutis animantibus quò ſe totis inclinant atque propendent, eò ferri liceat; homini data ſit ratio, vt magnâ vi & conatu laborioſo, quàm maximè ſe à corpore abſtrahat, quod eſt ei coniunctiſſimum, neque de cætero arduæ & difficilis abſtractionis præmium aliud auferat, quàm quòd princeps animalium eodem cum ſubditis humandus tumulo, dicatur longè plus tandem eſſe

perpeſſus ærumnarum ac moleſtiarum. Atque hæc illa ſcilicet erat cogitatio omnium aptiſſima, Salomonis, hoc eſt, ſapientis iudicio, ad ſtultos magis etiam infatuandos impunitate ſcelerum, aut rectè factorũ obliuione, cùm eos ſic loquentes faciebat. Sap. 2. *Ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus tanquam non fuerimus.* Tum. *Venite ergo & fruamur bonis quę ſunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter.* Deinde. *Nemo noſtrum exors ſit luxuriæ noſtręę : vbique relinquamus ſigna letitię ; quoniam hęc eſt pars noſtra, & hęc eſt ſors.* Hæc ſi verè dici poſſent, ac ſuſtineri nihil refragantibus naturæ principijs (poſſent autem profectò ſi nihil eſſet in homine corpore diuturnius) nonne iam vita noſtra cõmunis ac quotidiana duce & magiſtrâ naturâ, ſcateret vitiorũ careret virtutum genere omni?

Digitized by Google

Itaque id ſi profiteri nolumus, in quo eſſemus non modò ridiculi, ſed & improbi ; rationem nos à natura, & præſtantiam beſtiarum accepiſſe vt eas vnicâ peccandi licentiâ & officij deſerendi poteſtate antecederemus inaniter ; fateamur neceſſe eſt, quàm æquum fuit ac iuſtum nos quaſi habere domî, & in naturæ noſtræ inſtrumento ac ſupellectili non ad delicias ſed ad innatam dignitatem comparatâ, rationum earum momenta numerare quibus ſapienter nixi & corroborati, tueri vellemus locum noſtrum in hac rerum vniuerſitate ; tam neceſſarium fuiſſe æterni poſthâc temporis ſpatium homini à naturâ deſtinari, quò totius vitę rationes conferre teneretur, nec à recto virtutis tramite, vel in rebus familiariſſimis errare cum excuſatione poſſet. Quanquam quid hęc ego fuſiùs ? Aut

enim, dicet aliquis, ad impios & ſtultos, aut hæc vis pertinere ad probos homines & cordatos; ſi ad hos, quid tam multis opus? cùm ſe ſiue auditores fuerint, ſiue lectores, ab oblata veritate facilè capi ſinant ac vinci: ſi ad illos; quo plura in hunc ſenſum dixeris, hoc pauciora in eorũ mentibus fructũ edent, qui cùm ſe defendunt animos habere mortales vel beſtijs pares, propterea tantùm id faciũt, ne quo ſe teneri præ ipſis, virtutis officio patiantur, quámque velint nolint poſſident vitam animorum inexhauſtam, certâ morte ſimul ac flagitiorum impunitate, ſi fas, commutare valeant. Parebo igitur monenti, & velut ſublata de ipſorum oculis, Dei, rationis ac virtutis effigie, quam oderunt peſſimè, videbo an in ipſa quâ de agitur animâ, conquieſcere velint: tum enim, ſi poſtquam ipſis velut

intento in fontem digito, in ipſius quaſi animę viſceribus tam altas vitę radices oſtendero, vt nullâ vnquam vi creatâ labefactari poſſe ipſi iudicaturi ſint, pergent tamen eas pro viribus euellere, deſinam certè immortuis hominum ſimulacris quam obſtinatiori voluntate reſpuunt, meliorem fruſtrà vitam inſpirare.

PARS TERTIA.

Ratio intrinſeca. Prænunitio ad ea quę reſtant dicenda.

CAPVT I.

PAuca ſunt de quibus monitum te velim, amice lector, priuſquam vberiorem illum ac pinguiorẽ phyſicæ demonſtrationis velut campum tecum ingrediar. Primum eſt. de multis huius materiæ locis velut intrinſecis ſe-

lectum à me vnicum non ad alios infringendos, sed ad vitandam multorum prolixitatem; præsertim cùm etsi in ijs quidem quę spectanda sunt oculis corporis, vnus aliquando ex vnâ parte intuitus fraudi esse possit, quam præstarent plures ex alijs; non tamen in visis animi in quibus quod semel vndecunque manifesto tenetur indicio, propterea nemo petit pluribus demonstrari, quia non vt color corpori, sic aperta veritas animo fucum facit. Alterum est; vt cùm meo quidem iudicio, quod explicare nunc & vrgere aggredior, argumentum demonstratiuum sit; si cui fortè secus videbitur; in tantâ autem varietate & libertate iudiciorum, fieri vix potest, quin multis secûs videatur; quemcunque habebo hoc loco aduersarium, primùm rogem, videat diligenter ne quid præiudi-

Digitized by Google

cati ad cauſam afferat, ſiue à prauitate morum & licentiâ, quam ſibi tam inſignis veritatis cognitione vereatur eripi; ſiue ab neſcio quâ inuidiolâ cómuni & occulta, quâ dolemus plerique omnes, & ægrè ferimus, ſi quem ſuſpicamur velle pro ſuo vendere, quod à multis laborioſè fortè quæſitum eſt, nec inuentum, Tum ſi cum nihil erit quod inde timeat, nondú tamen ſibi in hoc genere ſatisfieri ſentiet, nequaquam ita philoſophetur; quaſi nullà propterea ſit, aut afferri tandem poſſit probatio immortalitatis euidens, quia neque ipſe, neque qui ante me id tentarũt, quidquam ſibi videmur effeciſſe. Profectò enim ratiocinatio hęc ſi valeret nunc, aut valuiſſet olim; neque iam teneremus vias & præcepta artium permulta, in quibus maiores noſtri cùm primis temporibus laborarent ſine fru-

ctu, nihil dubium est quin simili quodam modò desperarint aliquando inueniri posse, quod tamdiu nequicquam quæritari videbant, postmodum autem feliciter repertum nouimus; neque porrò tolerabilis esset ardor ille & cupiditas, quæ multos etiam nunc incendit, vt quod anteactis ignoratum est sæculis, de quadraturâ circuli, quod antè memini me in præcedentibus obiter dicere, de lapide, vt vocant, philosophico, de maris æstu, déque alijs non paucis, in lucem valeant ac solem edere: quæ si omnia meritò & iure arbitramur rationem suî ac modum in se continere, idcirco tamen à nemine adhuc in medium allatum, non quòd nullus, sed quòd sit occultus, cur iniquior erit apud nos immortalitatis nostræ conditio, vt eius quasi latebras, & fugam, quâ se subducit

oculis noſtris, atque arduâ & ad indagandum difficili animi naturâ occultat, defectum veritatis & inanitatem rei, peruerſi bonorum noſtrorum æſtimatores interpretari velimus. Si cuius ergo animus tametſi ab omni affectu & cupiditate liber, nondum tamen in hac mea auta liâ ratione vllâ conquieſcet, ſiue de iam allatis parte ſecundâ huius libri, ſiue de alijs, quas hactenus prompſerunt ex ſe alij, aut proment aliquando; maximoperè ei author ſum, ne ſi decipi nolit & errare grauiſſimè, aliud cauſæ eſſe putet, quàm quòd æternus intelligentiarum ac luminum Pater, hanc nos veritatem celatos velit; ſeu quòd ſponte ſuâ ſatis ipſa nobis debeat eſſe obſcura, quibus nihil eſt ad intelligendum propè difficilius, quàm cùm eſt animus in ſeſe reflectendus, vt docet experientia; ſiue quòd ita rerum ſibi

noſtrarũ fidem maximam haberi velit; præſertim cùm ſufficiẽtia, vt leuiſſimè dicã, ſuſpicionis argumẽta nullo vnquam tẽpore nobis defuerint; cúmque vel illud ipſum partim quòd incitamur à naturâ ad huius inueſtigationem ſcientię, partim quòd inueſtigantibus nihil occurrit in contrarium euidens, indicio ſit manifeſto tum verum eſſe quod nemo falſum oſtẽdit, tum conſequentis poſt mortem tẽporis luci reſeruari ac ſplẽdori, quod videmus quidem nunc, ſed quaſi per caliginem perſtringit aciem animi corporis ſocietas. Atque hæc non eò dico, quòd mihi in dubium veniat afferenda demonſtratio, ſed quòd verear vt poſſim eam probare omnibus, aut de meo quaſi lumine quantum ſatis ſit vnicuique ad eam peruidendam accendere. Adderem huc de non abiudicandâ hâc re & demon-

ſtratione totâ lectori beneuolo antè ſaltem quàm perlegerit integram ; ſed id ipſa per ſe monet cauſæ æquitas ; pars enim ea quæ legendo pręteriretur, fieri poſſet vt haberet vnica quod alijs forſitan de eſſe videretur ad victoriæ cumulum.

Totius argumentationis ex arte ſtructura.

Caput II.

SI eſt, inquam, aliqua humanæ mentis operatio propria, hoc eſt, indepẽdens, vt loquũtur, & ab omni corporis commercio libera; ipſa quoque ab eo ſeiuncta & ſegregata neceſſe eſt vt poſſit per ſe in mũdo reſiſtere, nec cogatur vnquam perire funditùs. Sed eſt aliqua operatio huiuſmodi. Neceſſe eſt igitur, vt liber à corpore ſuperſit animus. Hoc primum ; de

quo ſi maior propoſitio vocatur in dubium, ſic confirmatur. Modus operandi ſequitur modum eſſendi, vt habet axioma philoſophorum communiſſimum. Ergo ſi ſoluta à corpore mens hominis vim habet operandi, neceſſe eſt habeat & exiſtendi. Nam quod eſt procliuius, ſi eiuſdem primi argumenti minor negetur, ſic eſt affirmanda.

Clara & intuitiua ſuîmet ipſius cognitio eſt operatio mentis humanæ aliqua, quam viribus etiam naturæ præſtare poteſt; vbiubi nihil ad præſens inſtitutum, de quo viderimus poſtea. Sed ea non pendet ex corpore. Ergo operatio mentis humanæ aliqua non pendet ex corpore. Hoc ſecundum; in quo prima quidquid habere poteſt difficultatis, totum id ita verbo diluitur. Si nihil abeſt menti humanę ad intuitum illum, cùm

à corpore ſoluitur; quadrat profectò tum ſaltem in eam intuitus ille ſuî & viſio clara. Nihil autem tunc abeſt. Si quid enim; aut corpus ex quo penderet intuitus ille, aut ſeſè intelligẽdi ac penetrãdi vis intima, quâ careret animus, aut ipſe ſibi, cùm tunc non eſſet. Sed neque vi illâ caret animus nihilo ſe minor, vt dicam infra; neque intuitus ille pendet ex corpore; quod ſic oſtendo, & propoſitionẽ arguméti probo mox alteram: de tertio enim membro quis non videt, non eſſe afferendum, cùm nequeat tunc ſibi deeſſe animus ad exiſtendum, ſi modò nihil deſit aliunde ad operandum, quod vrgemus.

Siintuitus ille penderet ex corpore tanquam ex ſubiecto; vel obiecto vel comite & ſocio aut ſi quo fortè alio nomine penderet vtique. Sed neque vllum

aliud inueniri nomen poteſt, neque vllo pendet ex tribus allatis. Ergo non pendet omninò.

Hoc tertium; cuius tandem propoſitio altera, quę vna recuſari poſſet, hoc modo in partes ſuas diſtributa explicatur. Primò quidem quòd pręter tria illa, nullum aliud dependentię nomen ſomniari poſſit, aut excogitari probabiliter, hoc certè ſtatuendum eſt interim, dum aliud afferatur; quod cùm fiet, reijcitur abundè. Quòd autem non ſic tanquam ex ſubiecto aut organo pendeat, vel inde planum eſt Ariſtoteli, quòd ne fingi quidem poſſit, quodnam ſit proprium intellectûs organũ, in homine, in quo nullum reperiri docet anatomia, quin ſimul in animante aliquo. Deinde quòd neque ſic tanquam ex obiecto; quaſi ad cognoſcendam ſe humana mens opus habeat phantaſma-

Digitized by Google

te corporeo inſtar obiecti proximi, inde elucet, quòd ſaltem dum ſoluitur à corpore, ſe prę ſe ferat ipſam, longéque meliori in lumine ponat, quàm quod ab vllo phantaſmate ſperari poſſet. Denique quòd longè minùs in ſuî viſione pendeat ex corpore vt ex comite, cuius conſortium neceſſariò requirat & proportionatam actionem, tantum non probatum éſt iam nunc; neceſſitas enim illa repetenda eſſet ex phantaſticæ ſpeciei in eâ viſione vſu neceſſario, cuiuſmodi nullum eſſe inde oſtendimus, tum quod ſi ablegari hinc poteſt phantaſma ipſum, certè & abſtracta ex eo ſpecies phantaſtica, aut eius vſus; tum etiam quòd ſimilior ſit ſibi per ſe mens humana quàm per adiectitiam ſpeciẽ vlla, mquæ tamen ſi foret neceſſaria, vnicâ foret illius ſecum ſimilitudinis cauſa hoc quartum.

In his porrò omnibus ne quid ſit aut dubij, aut difficultatis, quod facilè euenire poteſt in exili illo & ſpinoſo dicẽdi genere, quãuis acri & vrgenti, faciam mox vt ſingulis ſingula reſpõdeãt capita. Interim vt eò redeat, vnde fluxit oratio, aut etiam, quidquid eſt in quæſtione totâ, ſub vno rurſum ponat aſpectu, fas ſit verbo concludere. Quæ mens eſſe poteſt ſine corpore, ea eſt immortalis. Sed poteſt humana. Ergo immortalis eſt ipſa. De maiore cæcus ſit qui dubitet. Minor ſic conficitur. Quæ mens poteſt operari ſine corpore, poteſt & ſine ipſo eſſe. Atqui humana poteſtatem habet primi, ergo & ſecundi. Maior ex dignitate iam allata de modo operandi ſequente modum eſſendi. Minor conſtat ex dictis de facultate quâ pollet anima ad ſe cognoſcẽdam ipſam, non imploratâ corporis aut phantaſmatis

taſmatis ope. Sed obſcuram orationem illuſtremus, & contractam latè explicemus.

Quòd ſi ſit aliqua intellectus humani operatio propria, ſeparabilis ſit ipſe; quę eſt primi argumenti prima propoſitio.

Caput III.

TOtum id etſi videretur ſine contentione aſſentiendum Ariſtoteli, cuius verba ſũt ipſa tex. 13. 1. de animâ: tamen quia rationem iam vrgemus, authoritate relictâ, affirmari poteſt ac debet, non modò explicatione axiomatis proximo capite exponendi, ſed eo etiam quòd ſponte ſuâ nexum ſit & aptum conditionalis illius ex antecedente conſequens. Profectò enim cùm ſeparabilitatis animæ, ſeu immortalitatis, quæ duo idem ſonant, videatur inde naſci

difficultas omnis, quaſi viduitas illa & ſolitudo ſeiunctæ mentis à carnis inuolucro, otij pluſquam ſatis, nihil prorſus habitura eſſet operis ac muneris exercendi; id quod natura refugere ſolet, vt perfectionem in agendo poſitam ſectetur vbique diligẽter; propterea autẽ vacuitas illic ineſſet muniorũ omnium ac operũ quia corpus abeſſet actionum animæ omniũ adminiculum neceſſarium. Poſtremum iſtud ſi verum non eſſe probatur, & certum quoddam tribuitur animæ ſuum ac proprium munus, in quo ſe perhonorificè ſine famulâ & miniſtrâ carne velut ingenua ac nobilis domina exerceat: nonne conſequens eſt, vt cui nihil obſtet, ſeparata vigeat ac duret etiam tunc anima? Quanquam neque hanc tantùm vim habet argumentum; ſed & ſi proprietas illa actionis manet; non

modò quòd nullum ſe impedimentum offerat, verùm etiam quòd omnia habeat adiumenta, ſeparabilitatẽ poſſidet animus noſter & immortalitatẽ: id verò quia dicendum eſt poſthâc fuſius, ſatis ſit hoc loco indicaſſe. Proprietatem porrò actionis cùm eam in ipſo quoque Ariſtotele interpretor, in quâ nihil ſit penitùs animæ cum corpore commune, quemadmodum amabunt me de eo quibuſcum diſputo, ita ſanè haud grauatè illis conceſſerim nonnihil à mente philoſophi reíque veritate videri deflectere, qui minus aliquid in proprietate illâ requirunt, quamuis optimæ notæ Theologi ac Philoſophi. Si enim vel pilo alligata ſit & affixa operatio illa animæ propria, non probabit abrumpi poſſe funditus vtriuſque vinculum, ſaluâ parte altera, cùm ex eodem nexa ſit abſolutè

cuiuſque exiſtentia, ex quo operatio omnis vel leuiſſimè. Sed hæc extra lineam, quaſi contra me, vt videas quàm non diffidam cauſæ, aut eam velim & certâ veritate fundatam, ex quâ ſpecioſa magis quàm vera ac firma argumenta, quæ aduerſario tamen non inepto ſatisfacere poſſent, reijciam ipſe ac refutem vltrò.

Modus operandi ſequitur modum eſſendi.

CAPVT. IV.

PHiloſophicum illud eſt axioma, quo cùm nitatur in primis, primi argumenti iamiam explicata propoſitio, videamus paulò fuſiùs quam vim habeat, & hunc ſequamur in dicendo ordinem. Primùm, vt quis in eo philoſophorum ſenſus, tum quę neceſſitas, ac deinde ſcrutemur quis ſit

eius in rem noſtram vſus. Hoc ergo ſenſu pronunciatum illud eſt & fixum in ſchola à ſapientiæ magiſtris primis, quo voluêre ita conſentire naturam cum opere; primùm quidem nihil vt eſſet ocioſum vſpiam, proindéque ſi quid fingi poſſet ab omni prorſus actione vacuum, id ne poſſe quidem eſſe dici deberet. Et verò quid illo inerti otio torpere vſpiá videas? non ſanè inter ſubſtantias ſeparatas, quarum eſt nobiliſſimum opus intellectio; ſed neque inter corporeas, éxque materiæ ſoliditate compactas, quarum natura definitur eſſe principium motûs & quietis ſemper alicuius. Tú deinde, vt ex conſequenti, quemcunque locum, ſtatum, aut conditionem natura ex ſeſe cuicunque rei commodâſſet, eo in loco, ſtatu, aut conditione ſuum in opus aliquod ex ſe quoque poſſet res ipſa

incumbere. Tertiò, vt ne vnum vagaretur extra alterius ordinem ac dignitatem, síque opus eſſet affixum conditionibus corporum, ſubſtantia ne vacaret ab eis aut contrà. Sin autem alterutrum oſtenderetur ad rationem ſpirituum accedere, eò ſecum aliud trahere cenſendum eſſet. Ac tandem vt mutua eſſet iſta conſecutio & quemadmodum dicitur de modo operandi, quòd ſequatur modum eſſendi, dici quoque poſſit de modo eſſendi quòd ſe accómodet ad modum operandi; cùm tamen prior efferendi modus propterea magis ſit vſitatus, quia prior eſt naturâ exiſtendi ratio quá operãdi, & poſterioris eſt potiùs quàm prioris, alterius inhærere veſtigijs. Neque porrò hęc quatuor ita ſeiungo ab inuicem, quaſi non vnâ fermè ratione mox ea collecturus ſim, ſed quia arbitran-

tur non pauci hac indiuiſorum diuiſione, obſcura ſæpe illuſtrari. Iam ſi quæritur quantam hæc omnia neceſſitatem habeant, non eſt difficile inuenire quid reſpondeas. Primi enim ratio eſt ex multis vna firmiſſima: quòd quantum poteſt, in omnire quod perfectũ eſt & abſolutum, hoc natura conetur efficere, vt ſe ſuo autori quã ſimillimam reddat; perfectio autem eſt & abſolutio ſubſtantiæ, actio; quo fit teſte Ariſtotele, vt cœli motûs ſui non defatigantis perpetuitatem ament, conſtantem primæ intelligentiæ circa ſe ipſam velut exercitationẽ imitantes. Et hinc illud ſcilicet effatum alterum. *Vnumquodque eſt propter ſuum operari*; in quo non tam Græcè quàm verè loquuntur & philoſophicè, vt patet ad oculum, qui rebus paſſim omnibus functionis alicuius & exercita-

tionis teſtimonium dat. Ne quid ergo fruſtra faciat, quod minimè vult prudens operatrix natura, facit vt omnibus rebus ac ſingulis ſuum quadret opus, non modò abſolutè, ſed & quocunque tandem loco, ſtatu, aut conditione ſunt, quod erat caput alterum; de quo quid me diutiùs torqueá? cùm planum ſit ac euidens, ſi quo loco, ſtatu, aut conditione ſine opere res eſſet, vitia mox fore in eâ & incommoda omnia iam dicta. Sed neque me diutiùs teneat oportet, quod inſuſurrare poſſet hîc aliquis, non videri rebus conceſſum omnibus vt agant; duplex earum eſſe genus, paſſiuum vnum, actiuúmque alterum; etſi enim facilè eſſet illud refutare, tamen quia de anima nobis ſermo eſt, quam ad primum ſtatim referas; patiar ita ſumi quæ hoc loco dicta ſunt hactenus, cum exceptione

hac ſaltem; niſi ſi quid vile eſt omnino ínque ordine rerum infimo ponendũ; quidquid vſpiã eſt, coniunctum illic eſſe cùm ſuâ agẽdi vi & facultate, aliquâ. Sequitur tertium ac præcipuum explicatæ ſententiæ caput, quod eſt huiuſmodi; non poſſe ſuperari dignitate & ordine actionem à ſubſtantia, aut contra. Id quod inde manifeſtum eſt. Primò, quia coniunctiſſimarum rerum ſi ſecus fieret, non ea eſſet vtique conſenſio, quã oportet eſſe. Secundò, quid iuuaret ſubſtantiam alterius ordinis actio, quæ vt ab ipſa non flueret, ſed magis ex principio ſibi conformi, ſic neque eſſet ipſi ornamẽto; aut quid recipiendæ actioni vtilis eſſet ſubſtantia pariter diſſimilis? Tertiò, quis ordo rerum ſperandus eſſet de cætero, cùm tamen eo vigeant vniuerſæ, ſi perturbatio illa fieret, quâ ima ſummis,

abſtracta penitus à materia miſcerentur concretis ex eâ. Prætereà hęc ſi regula in formandis moribus locum habet; vt ſuo ſe quiſque metiri pede nôrit, neque eò intendat animum, in quo fruſtra laboret. Nonne multò magis natura, cuius ſi quod eſt peccatum, rarum eſt ac inſolens, nouit ita ſibi moderari in ſingulis, vt ne ſuis viribus maius opus tentet, aut ſubſtantię infimæ, proprium ſuperioris alicuius munus imponat nunquam exequendum. Denique iſtud iam probatum eſt ipſum vnà cum ſecundo capite; ſi enim quicunque eſt locus, ſtatus, aut conditio ſubſtantiæ cuiuſcunque in agẽdo, idem eſſe debet in ſubſiſtendo. Nonne manifeſtum eſt quòd agendi in ea ordo & ſubſiſtendi nequeat eſſe inæqualis. Valeat igitur in hanc maximè ſententiam dictum illud; vt quando nulla ma-

ior eſt in agendo diſcrepantia, quã vt ſubſit aut non, corpori actio; ſi quæ minimè ſubſit, ea pariter in ſubſtantiam cadat non ſubiectam corpori; alioqui prẹterquam quod deuoranda eſſent omnia abſurda iam dicta, haud aliter feciſſet in eo natura, quàm ſi aptam & accinctam alis ad volandum auem arctiſſimis ac ſempiternis vinculis alligaſſet ad rupem aut arborem. Nunc autem, quæ ſupereſt explicationis eiuſdem pars vltima, per ſe quoque nota eſt; etenim quid te aut quenquam alium iuuet poſſe ijs conditionibus agere, quibus eſſe non poſſis? aut quæ fuiſſet rurſus in eo prouiſio naturæ, vt actionem pararet ſuſtinentis ſubiecti præſidio deſtituendam. Omnino ſic res habet, vt cum natura in actione ſic tanquam in fine conquieſcat, deeſſe ſibi non poſſit, quin ſe ibi ſuſtentet, eáque condi-

tione ab interitu vindicet, in qua actionis ſuæ liberratem retinet: quo fit vt ſi ſua animæ actio conſtet extra corpus, illic non modo nihil obſtet quin perſiſtat ipſa, ſed& omnibus naturæ legibus cogatur perſiſtere; verum id quàm mox. Fas ſit ergo axioma in ſeſe conuertere, & ſequatur modus eſſendi modum viciſſim operandi, vt eum habet aſſectatorem aſſiduum. Reſtat dicere, niſi tamen etiam illud clarius eſt quàm vt dici debeat; quæ ſit axiomatis huius hoc loco vſurpatio opportuna. Nimirum, ſi vt à ſummo genere deſcendamus ad ſpeciem fortè non infimam, non poteſt humanæ mentis operatio præſtare ipſi ordine, conditione, aut ſtatu & dignitate: cùm eam oſtenderimus immunem à corpore, aut corporis legibus, de mente quoque ipſa idem erit ſine controuerſia dicen-

dum; ne tota fortiter reclamante natura, aut modus operandi longè infra ſe modum relinquat eſſendi, aut modus eſſendi à modo deficiat operandi, id quod eò tandem totum recidit, vt quæ eſt argumenti primi prima propoſitio; ſi aliqua vel vna ſit, aut eſſe tandé poſſit humanæ mentis operatio ſine corpore, ipſam neceſſe ſit de cætero ſine eo aliquando poſſe ſubſiſtere, atque adeo immortalem eſſe. Dixi de aliquâ vel vnâ, quia vt explicabimus infrà fuſiùs, vtque omnes vltro dant, non minùs vnius quàm plurium actionum ſuarum tempus ac locum præſentiâ ſuâ veluti cohoneſtare & corroborare tenetur natura quantùm ipſa ſibi amica eſt.

Quòd mens humana possit seipsam apertâ in luce videre. Variæ coniecturę.

CAPVT VI.

ETsi dum summo iure res agitur, coniecturis aut perparum, aut nihil est loci; quia tamen disputatio hæc ipsa per se sine resistente, extráque controuersiam iucunda est. Quod mox acerrimâ rationum vi conabor extorquere ab aduersario quãuis pugnacissimo, lubet in eo etiam probabiliter exponendo insistere aliquantulùm. Quòd mens, inquam, humana possit seipsam apertâ in luce, hoc est, in seipsâ videre, neque tantùm in circumfusis corporibus: siue vt loquuntur in scholâ, quòd cadat in eam suî cognitio non modo abstractiua, sed etiam intuitiua; quæ est secundi ar-

gumenti prima, iam nunc ita reuincenda vt eſt in ſtructurâ, videtur interim ſuaderi poſſe ex eo. Primò quòd naturæ ſapiens ſit conſilium in omnibus; vt quam vnicuique rei facultatem operatricem elargita eſt, hanc circa rem ipſam exercendo velut perpoliri iubeat, ſi modò ſit res ipſa illi facultati occupandæ ſubiectum non longè diſpar, adeo vt nobilius tunc etiam aliquid ac præſtantius promere ex ſeſe poſſit in ſe, quàm in extranea: nec abs re porfectò, virtus enim illa cùm actione ſuâ ad id perficiendum in quo verſatur nata ſit & facta: cúmque propoſita ſit vnicuique ſua in primis perfectio, tum aliorum; ſequitur vt ſi quid eſt in ſubiecto virium, ſibi antè, ac verò ſi fas, pluſquã alijs impendat, quandiu ſaltem erit ipſum illis accommodatum. Nonne in corporibus, cæleſtia plus ſibi

retinent luminis quàm effundant extra ſe? quod quidem ſi à producente habent, non à ſe, propterea non à ſe, quia à producente ſine perdendi periculo; nã ſi perdendũ haberent, nil dubij eſt, quin tantumdem iterum ac ſæpius ſibi acquirendi facultate gauderent, quãtùm alijs elargiri poſſent. Elementaria verò nonne in ſuâ propriâ qualitate inſumendâ de ſe antè quàm de alijs quaſi cogitant? In animantibus pariter, ſi quem ſenſum nonne ſuî priùs quàm extra poſitorum habent, quoad obiecti patitur amplitudo? hoc eſt, vt ſi quid in ſe coloratum, ſi quid ſub odoratum, aut auditum cadens, id fas ſit ipſis in primis audiendo, odorando, videndo in ſe percipere? Mens ergo humana cùm ſit ipſa per ſe in ſe intellectûs comprehenſioni expoſita, cur non ſui? ſatis eſt, inquis, quod ſe poſſit in alio

in alio velut in ſpeculo intueri. At hoc ipſum eſt quod magnæ in contrarium coniecturæ eſt; quàm enim, obſecro, imperfectum ipſique ſpeculatrici tantùm non cæcum ac mortuum illud qualecunque ſpeculum? quàm ſeſe neceſſe eſt videat in eâ mens turpem ac deformem, diuinum ens ac ſublime in luto ac puluere? homo ſis, téque ita ad alia omnia luſtranda natum credas, vt ſpectabilem nobiliſſimæ partis ex qua conſtas, cogaris ibi ſpeciem quærere vbi ſordidata iacet! Quantulũ porrò illud eſt, quod de te ſuſpicaris, quiſquis es qui cótra iſta dicis aut ſentis? de animo, inquam, tuo quid potes reſpondere rogatus? eſſe in te aliquid quo ſcruteris omnia ac peruadas, motus cœlorum deſcribas & ordines, totius naturæ arcana diuulges, ipſum autem quale ſit, album an atrum ignores; de cœlo

tibi datum ac dispertitum, an in terrâ natum non ausis affirmare. O te cùm hæc dicis stupidum ac hebetem, nisi simul intelligis, in quo tam cęcus es impręsentiarum, ac nihil videns, in eo tempus fore aliquãdo opportunum, cùm post mortem acres aperias oculos, ne fortè semper, quod præposterum esset & monstrosum, in tantis quasi domesticarum rerum tenebris, præclarum alienis rebus præferendi lumen infelix munus habeas à naturâ impositum. Denique quoniam ita nati sumus nos homunculi, vt diuinitatis suæ similitudinem in nobis fingendis secutus sit Deus quàm maximè; id quod non modo sacris, sed & prophanis libris consignatum habemus, imò & ratio ipsa vult, quæ nihil quidquam mentibus nostris æquale in corporibus; videt quam est alienum à recto ac vero, vt

ignarum ſuî, aliorum intelligentem penè omnium animum nobis ille dederit, quem non modò ipſius è ſchola politi Theologi, ſed & naturæ ductum ſecutus philoſophus contemplatione ſuî ita defixum eſſe ſtatuit, vt quidquid eſt de cætero, in illo ſuo maiori lumine videat. An neſcimus quo loco in Metaph. de eo in hæc verba pronunciet grauiſſimè & acutiſſimè? *Eſt intellectio intellectionis intellectio.* Profectò quaſi diceret. Mens prima ac ſumma Deus, eſt ſuîmet ipſius intelligentis actus intelligens. Egregiè porrò. Mens verò humana, cui cũ ipſâ ſimilitudo eſt non parua, qualis tandẽ erit niſi ſe, vbi tandẽ videndum alibi, niſi ſe clarè intelligit? ad alia nimirum à ſe omnia in bono lumine ac optimo videnda aptiſſima, ad ſeipſam per quandam quaſi caliginẽ vix internoſcendam habilis, quis

credat? Dicamus ergo certiùs ac veriùs, quòd quemadmodum ſe Deus in primis, in ſéque videt ſemper omnia; ſic animus hominis, ſi forté dum eſt in corpus immerſus cogitur ſuî in corporibus ob oculos poſitis ſectari veſtigia, ne ſe interea penitus ignoret, emergit tandem aliquando, & interueniente morte in eam excedit lucem, in quâ non iam ſe quærat extra ſe, ſed de alijs plus ipſe ſibi per ſe renunciet ac cõfirmet quàm de ſe olim ex ipſis incerto rumore audierat. Verùm hæc hactenus, quæ ſi tibi, lector, videbuntur ad faciendum rei decretum ſatis habere roboris, nihil repugnabo; ſi quid amplius deſiderabis, aduerte, quæſo, animum diligenter ad ea quæ conſequuntur.

Digitized by Google

Quòd clarę & intuitiuę ſuî viſionis mens humana naturale ius habeat aliquod. Velitatio.

CAPVT VI.

HÆc illa iterum eſt ſecundi argumenti prima, de quâ ſimul cum ſecundâ, vt belli, pecuniam, aut Reipub. vectigalia, ſic huius diſputationis facilè neruos eſſe dixerim. Ac ſanè dixerit fortè rurſum aliquis tum in ſecundâ, quæ eſt hęc. *Clara ſuî viſio non pendet ex corpore in mente humanâ.* Nihil poſſe difficultatis ineſſe, quia totum abſorbeatur in primâ; tum huius ex illius aptam eſſe & connexam probationem; tamen ne quid confuſè & permixtè; vrgebo ſi fas diſcretè & electè in gratiam primę, quod ſeſe ex ſtructurâ offert. Si nihil abeſt menti humanę ad claram & intuitiuam ſuî viſio-

nem, cùm ſoluitur à corpore, ius habet, tunc ſaltem illius à naturâ. Sed nihil abeſt. Ergo tunc ſaltem, illius ius habet à naturâ. Hæc ſententia verborum è ſtructura, quibus parco ſyllabatim recitandis. Sententię porrò, vt ſine monitore, opinor, intelligis, concluſio cum primâ nunc noſtrâ, & huius capitis complexione ita conuenit, vt idem prorſus habeat vtraque. Iam ergo. Allati ſyllogiſmi quæ pars nobis erit fulcienda? An conſequentia maioris, ſeu deductio obtinendi iuris in viſionem animæ ab animâ, ex appoſita conditione de omnium requiſitorum ad illud præſentiâ? At nihil quidquam eſt aut vſitatius in ſcholâ, aut cum ratione congruentius, quàm vt vbi operis alicuius à natura expectandi adiumenta omnia reperias, ibi confeſtim de opere ipſo adfuturo certus ſis; quippe cùm adiumenta

illa cauſarũ naturaliũ inſtar habeãt quæ ſimul ac conuenêre omnes, quemcunque effectum virtute ſuâ continent, neceſſe eſt protinus quaſi fundant ex vtero. Stante ergo ſuâ vi ac propriâ cõſecutione illâ maioris. Progreſſum fortè minoris impedient aduerſarij ac dicent, Abeſſe animæ, ne viſionis tunc ſit illius capax, cùm ſoluitur à corpore, ipſam ſibi, neque enim reſtare ſic ſolutam & liberã. Enimuerò quid illud eſt, ſi nugari non eſt? bonâ omnium veniâ dixerim. De hoc ipſo controuerſamur inter nos; ſic ſoluta & libera reſtet, nécne. Contendo reſtare, propterea quia ex antè dictis & probatis; quocunque aut ſtatu, aut tempore intelligitur operandi facultas aliqua vlli conuenire ſuppoſito, eodem aut ſtatu aut tempore intelligimus ei deberi exiſtentiam, ne fortè fruſtra ſit modus operis,

quem modus eſſentiæ aut exiſtentiæ à ſuo comitatu deſerat; in ſtatu autem libertatis & ſeparationis quam adſtruo, ex eo confirmo ſuũ ipſi ſupereſſe operandi modũ, quòd ſeipſam tunc intelligat, aut certè habeat omnia ad id neceſſaria. Intercedis ſcilicet huic rationi vltimæ, & exiſtentiam abeſſe cauſaris. Sed vide quàm importunè, neque ſic vt impediuiſſe victoriã, tantùm vt paulò diutius cerramen prorogâſſe videaris. profectò enim poſt iacta quę dixi fundamenta; ſi oſtendo ad operationem præcisè aliquam omnia tunc ſuppeditare animæ, quę ratio operationis nuda ac ſolitaria exigit, vnà & id conficio; non deeſſe exiſtentiam, quá importat operatio; adeò vt cum hæc duo ita inter ſeſe apta ſint & cónexa vnum ex alio, nec ſeparari poſſint; dicenti ac vrgenti de operatione certo quodam in caſu poſ-

ſe inueniri, quippe dum omnia ſuppetunt ad eam neceſſaria, ſi quis reſpondeat non poſſe, quia non ſuppetit exiſtentia quæ ipſa eſt de rebus neceſſarijs vna, eodem prorſus modo argutari & ridiculus eſſe dicendus ſit, ac ſi loco exiſtentiæ operationem ipſam ſibi met neceſſariam abeſſe quereretur; non enim difficilius quis probat & quaſi ad digitū exiſtentiam oſtendit, oſtenſis operationis inſtrumentis omnibus, quàm operationem ipſam, cuius eſt vbique ſocia. Denique vt illud ſemel in vniuerſum dicam. Quorum eſt mutua ſimul inuicē cóſequentia, eorū vnū ſicubi demonſtratur ex proprijs argumentis ac notis poſſe reperiri, idcirco nihil eſt cur alterum ei cauſeris abeſſe, quia adducto vno repræſentatur vtrúque neceſſariò. Si dies eſt, Sol eſt; ſíque Sol, dies; oſtendenti diem,

quis posset Solem negare, aut cõtrà? Pari ergo nexu cum sint obligatę inter se substantia & actio in omni quidem re, sed in animâ singillatim, de quâ nunc quærimus, cúmque verissimum sit, quòd vbicumque potest anima subsistere, ibi continuò ad agendum aliquid valeat & contrà; vbi actionem liberam ac solutam ibi quoque substantiam habeat; postquã ostendero propriam ipsi constare actionis suæ rationem à morte, nisi qui nugari volet, nemo, opinor, defectum substantiæ opponet, quam intelliget actione ipsi annexâ manifesto deprehensam: sed hæc vereor ne fusiùs à me dicta sint, quàm vt lectoris ingenio satis confidere videar. Descendamus itaque rursum ad minorem. Ea nihil quicquam esse contendit, cur saltem ab obitu, dissoluto corpore (de antecedenti enim tem-

pore, alius erit opportunior diſputandi locus) iam ſuî viſione ſuos non ſuauiſſimè paſcat oculos animus, neque fas rurſum reluctari, quaſi oculos non ſit habiturus qui futurus deinceps omnino non ſit; iam enim ſimpliciter probatur quòd futurus ſit, ſi aliunde nihil vetat quin ſe tunc videat ac ſpeculetur. quod autem nihil vetet quis non iubeat haberi pro comperto ac demonſtrato ſub eâ conditione, ſi viſio illa ac ſpeculatio nihil de ſe habeat coniuncti cum corpore; illo enim ſeparationis ſtatu, de quo hîc ſermo eſt, quid poſſet vllus deſiderare advisionẽ illam, concedendam animæ, præter corpus ex quo ſcilicet ipſam pendere affirmâret? certè illius vnius abſentiâ ſtatus ille ſeparationis ab ſtatu cõiunctionis diſiungitur. Nonne igitur danda' erunt omnia ſi non pendere oſtẽdetur. Dicet fortaſſe

non nemo desiderari adhuc posse visionis illius quasiquoddam cum animâ vinculum; & vt neque ipsa secundum se pendere videatur ex corpore, neque illo tẽpore morté consequente desierit, si velim, anima; nondum tamen ex visione quicquam de ipsâ inferri absolutè, quòd illa non quadret in eam, nó possit ab eâ proficisci. Verùm istud postea, cap. xi. De hac itaque visione eò tandem deuoluitur quæstio, vt si ostendero nihil habere necessarij cum corpore cõmercij, aut etiam non carere animá maximis illis viribus quas ipsa fortè requirit, nósque illo capite vndecimo discutiemus, cum Deo; tum constet animæ ad eam nullum abesse necessarium adiumentum; tum sua sit menti humanæ operatio propria, suúmque proinde æternum ac minimè obnoxium morti existendi ius à na-

turâ conceſſum; id quod cùm ſemel impetrâro, de cætero haud facilè quidquam poſtulanti negârim aduerſario Verùm age, vnum ordiamur ex alio.

Nunc viribus vſus.

Quòd mens humana in clarâ ſuî viſione non pendeat ex corpore, ſic tanquam ex ſubiecto.

CAPVT VII.

NEmo ſe mihi rurſum hîc interceſſor importunus obtrudat, quaſi videar meo arbitratu ſumere quod probandum eſſet; humanæ menti viſionem ſuî claram permitti vſpiam à natura; re enim verâ permitti iam argumentatio mea poſtulat, vt toties monui, ſi modò de viſione eadem illa, quod aggredior, ita diſputauero vt ne videatur affixa eſſe corpori, aut vires ſuperare animæ;

quorum hîc contentus altero illo & primo, vt ſecundum iſtud capitis xi. ſermoni reſeruem; quod erit fortè non iniucundum audire; moneo iam te lector, in tertio è fabricâ argumento diſputationẽ noſtram verſari; & quidem ita, vt de præcedentibus nihil ſit relictũ in præteritis, de primo enim primam habes c. 3. & 4. probatam; ſecundam ex primâ ſecundi pendentem & ſecundâ, partim cum primâ illâ ſecundi adumbratam vides & inchoatam c. 5. & 6. abſolutam iuſſus expectare ex c. xi. partim cum ſecundâ eiuſdem ſecundi iam damus. In hoc ergo tertio è fabricâ argumento, Maior propoſitio quòd ſi viſio animæ clara pendet ex corpore, pendeat aliquo tandem nomine, ſiue de tribus commemoratis vno, ſiue quopiam alio, quia ne difficultatis quidem vmbram habere poteſt;

ſequitur vt Minor per partes ſingulas demonſtretur, de quibus proinde ſecundam hîc repræſento, dilatâ interim primâ, ſi quid ſe ſub finem ex eâ fortè commodiùs obijciet. Decantatæ viſionis organum nullum eſſe in corpore humano; hoc eſt quod vrgeo, neque proinde, vt eſt in titulo, pendere ex eo ſic tanquam ex ſubiecto, cuius nimirum tum exerceatur ope, tũ recipiatur in ſinu; vt fit in ſenſibus; oculus enim coloris ac luminis viſum partim ex ſe fundit vnà cum animâ, partim in ſe receptum continet; quanquam quia de receptione notum eſt, an etiam ſenſuum inſtrumenta ſentiendi actũ ex ſe fundant, nihil moror; hoc dico: ſi viſio cuius nobis mentio eſt, penderet ex corpore ſic tanquam ex ſubiecto; non totâ certè mole terreâ; quis enim auſit dicere totis ſe artubus vt contremiſce-

re nonnumquam, ſic intelligere quod intelligit; tanquam intellectûs ſedes propria & inſtrumentaria, ſit eadem ac veſtis oblongæ, quæ caput contegat & pedes; huic enim profectò, cùm vniuerſim ſapere deſijſſet, facienda eſſet properè medicina vniuerſalis, quòd vitiũ cerebri pedi non minùs aut manui, quàm capiti adſcriptum vellet; vt illud omittam quòd ſi verum id eſſet, quemadmodum cui particula manûs abſciſſa eſt, hic minùs eſt ad opera manufacta expeditus, ſic cui auriculam fortè infimam tonſor abſtuliſſet, eius mens continuò de rebus aut diuinis aut humanis minùs acutè audire cenſenda eſſet, quippe cuius organum iam inde ab illo cultrorum tonſoriorum morſu immani, haud haberet integrum. Ergo ſi viſioni illi aut omninò intellectioni, par enim hîc vtriuſque

ratio

Digitized by Google

ratio, ſpeciei ac generis ; ſi ſubij-ciendum illi eſt organum corpo-reum, haud quaquam per totum hominem diſtrahendum, ſed cer-tâ eius parte locandum erit. At contrà Philoſophus, tex. 92 1. de anima, cuius vt rationem vrgeam, authoritate relictâ, ſic diſputo. Si quod eſſet organum intellectûs & rationis humanæ, proprium il-lud eſſet noſtrorum corporum, aut commune animantium om-nium? ſi commune dixeris, vide quam ſocietatem ineas, qui bru-tum animal rationis organo, at-que adeo vſu tecũ compares; hæc enim de cætero ſors tua ſi tandé eſt; at non cæterorum vtique ho-minum, qui omnes intelligunt ſe in intelligendo tantùm ſaltem differre cum beſtijs, ſiue ratione aliquâ præditis, vt tua liberalitas eſt, ſiue prorſus deſtitutis, quan-tum ipſa intelligendi ratio differt

cum ſenſu, aut in ſenſibus vnus cum altero ; neque proinde minùs peculiare concedendum ſibi eſſe præ beſtijs, intellectûs organum ſi quod eſt, quàm ipſi intellectui præ ſenſibus, aut in his vni præ altero. Iam verò ſi proprium eſt, vt proprium eſſe debet corporis humani, aut nullum, intellectionis inſtrumentum ; interrogemus chirurgiam, quid ſit cur nihil huiuſmodi viſcerum noſtrorum ſtudioſa indagatrix anatomia adhuc deprehendere, imò ne fingere quidem potuerit, ſed omnia ſe videre paria fateri cogatur, quoties viliſſimarum etiam pecudum, noſtráque ſecat corpora. Obtuſiorem nouaculæ in diuidẽdo aciem, an oculorum dicam in obſeruando ? an quod eſt æquius, ingeniorum in quærendo ex vna parte quod nuſpiam eſt, in non peruidendo ex aliâ, quod tam manife-

ſtis ſe prodit indicijs. Omninò nec cultrorum eſt culpa, nec intenti per omnia & commeantis viſûs, ſed tua profectò quiſquis animũ inducis, vt credas eo te dotatum intellectu, qui niſi ſit ſuâ velut corporis thecâ ſingulari incluſus, vnde ſe ad opus ſuum propiùs admoueat, nihil poſſit efficere. At inquiunt, pro organo illo quod quæritur, abundè eſt humorum temperies alia, quàm in pecude, aut abundantia maior. Siccine? quaſi verò aut organi diuerſi ratio non in reliquis omnibus, tum partiũ ſubſtantiæ heterogeneitatẽ, vt ex Græciâ verbum illud arceſſamus in Latium, tum figuræ diuerſitatem importet; aut in primis qualitatibus, in quibus ſita eſt tangendi facultas inter ſentientes infima, poſſit intellectui pro dignitate ſatis apta ſedes conſtitui; aut tandem de exuberantia materiæ

quod indicatum eſt, aliò pertinere poſſit, quàm ad rei præſtantiã & laudem intra eiuſdem ſemper ſpeciei ambitũ, cùm tamen hominis & pecoris diſtantia ſit? ſi quę vſpiam, ſpecifica, vt in ſubſtantia, ſic etiam quod certè conſequens eſt, in actione vtrique propriâ. Feceſſant ergo hinc, qui hoc ſibi fruſtrà negotium faceſſunt, vt quærant quod inueniri non poteſt.

Continuatio eiuſdem argumenti.

CAPVT VIII.

ETſi vt in forenſi iudicio, qui ſeruum à vicino repeteret quem fatuè ſuſpicaretur domî eius latebras quæſijſſe, poſtquam ei in interiore ædium parte & exteriore, conclauia & loca omnia patuiſſent, non eſſet audiendus de cætero, ſi quid amplius vellet; ſic aduerſario inſtrumentum &

Digitized by Goog

velut adminiſtrum operis intellectûs in homine latitare affirmanti, cum ſingula eius membra & viſcera ſcrutandi poteſtatem amplam permiſerim, nec hilum profecerit; hac exceptione præclarâ actionem poſthâc omnem poſſem excludere; tamen vt liberaliſſimè cum eo homine agam, quem perſuaſum quàm deuictũ malim; audiat ex me rurſum in quo plus plúſque conquieſcat. Textus eſt 66. primi de anima, & tertij, in quibus Philoſophus id quod diſputamus oſtendit. Primò quidem, quia vt organa ſenſuum, obiecti excellentia reddit hebetiora; vt luminis abundantia oculis, ſoni vehementia nocet auribus; ſic ſi quod eſſet in materia organum intellectûs, præſtantiſſima quæque veritas præſtringeret aciem ingenij, cum tamen contrà eam acuat magis, aut etiam alat, vt vi-

demus in artium & ſcientiarum aut inuentione, aut acquiſitione fieri; vbi quò verius ac generalius, aut etiam difficilius & ſublimius principium aliquod iudicando peruaſimus, hoc maiorem ſolemus ad reliqua mentis ſolertiam in nobis experiri. Ita ferè Philoſophus. Tum deinde. Nulla, inquit, facultas organica circumflexè habet ſe ad ſeipſam, hoc eſt, vim ſuam primariam & directam contorquet in ſeſe; ſic vt oculus verbi gratiâ, aut ſe videat ſine reflectente ſpeculo, aut ſuam omninò viſionem percipiat. Sed habet ſe ad ſe intellectus circumflexè, vt pote qui de ſe déque ſuâ cogitatione velut ſine monitore cogitare ſoleat. Non eſt igitur facultas intellectûs organica. Expecto quid hîc dicturus ſit aduerſus Philoſophũ, intelligentis organi, ſi Deo placet, peritus artifex; tum ſi quid boni

afferet, præterquam quòd ſuccũbendum ipſi erit veritati alijs iam vallatæ præſidijs, ſemper illud obtinebo non deeſſe meæ cauſæ patrociniumPhiloſophi, cûm tam diſertè fundamentum eius non exiguum argumentando ponat. Sin autem dabit manus, gratulabor. mihi, imò magis omnibus huius diſciplinæ ſtudioſis, in eo quòd non vnam, ſed plures nobis ſuppetant tam inſignis veritatis notę. Nam vt illud obiter repetam, quod nimis fortè feſtinanter dictum, verendum eſt ne hominum non nimis acutorum ſenſus pręter volârit Magnam haud dubiè vim illud habeat neceſſe eſt in primâ ratione Philoſophi ad euertendum quodcunque fingi poſſet intellectûs organum; quòd vnicum in cognoſcentibus ab omni obiectorum ſuorum impulſu& contrarietate, præter aliorum, inquam,

omnium indolem, deberet se sartum & tectum conseruare, nullo tamen præ reliquis præsidio munitum aliunde. Multum quoque valet eundem in finem ex ratione alterâ; quòd dum se suáque intellectus intelligit, se velut intra se condat ac colligat in punctum; ex quo sequeretur, vt si organum adhiberet; pariter quamuis reclamante totâ cum quantitate naturâ, deberet ipsum in ipsius velut insinuare, & contorquere viscera: sed ego, vt dixi, ea tela nolim acriùs intendere, quæ vt excidant sine ictu; necesse est tamen alijs confossus cadat aduersarius, illúdque nusquam esse concedat, quod cùm omnes lateat, esset tamen eiusmodi si lateret alicubi, vix vt quempiam fugeret. Porrò autem si meæ quoque sunt dicendi partes, nec semper est aliorum aut ratio vrgenda, aut authoritas.

Mea hæc probatio, quanto maior est in animante potentiarum organicarum discrepantia, tanto quoque maiorem esse organorũ diuersitatem docet experientia. At profectò tum maior est intellectûs humani & sensuum animalis seu interiorum, seu exteriorum, quàm ipsorum inter se sensuum discrepantia; tum ne vlli quidem in mentem venire poterit, vt velit assignare in homine intellectui organum, organis sensuum, tam dissimile, quàm dissimilia sunt ipsorum inuicem sensuum organa. Non est igitur intellectus ille organicus, in quo nemo vel fingere possit, quod potentiæ animantis organicę habent ad vnam omnes.

Quid sit intellectum hominis pendere ex corpore sic tanquam ex obiecto aut comite.

Caput IX.

Sit illud, aut non sit, nondum inquiro, in quo positum sit; hoc nunc ago. Certum est imprimis ac compertum in exteriorum sensuum vsu, eos iacere feriatos, ac cessatione torpere, nisi ab obiectis suis velut excitentur ad agendum singuli; vnde etiam apud Latinos de oculorum & aurium impulsu mentio non infrequens. Id verò quale sit, duplex est opinio. Vni præter obiecti præsentiam aliud dicunt esse admodum nihil. Ab obiecto præsente arbitrantur alij in organo sensûs quandam velut languentem imaginem ac nódum insignitam describi; quæ præparatio cùm est adhibita, mox

Digitized by Goog

ſenſus tabulæ palæſtrã afferens & lineamenta extrema, inchoatam antè ſimilitudinem obiecti non modò perpoliat, ſed & viuam ac ſpirantem faciat; ac primam quidem illam ſpeciem impreſſam ab eo quod ſentitur, alteram hanc ſpeciem expreſſam dicunt ab eo quod ſentit. Hinc Philoſophantur ſi ſibi conſentanei eſſe velint, de interno ſenſu illi quidé, vt cõtentum eſſe dicant, præſentiâ obiecti in exterioris ſenſûs actione relucentis, indéque progredi ad ſuum phãtaſma, ſeu ſpeciem expreſſam, ac viuã imaginẽ; hi autẽ vt præmittant pariter impreſſam, vndecunque illa naſcatur, ſiue ab externi ſiue ab interni ſenſus induſtriâ. Neque verò diſſimile eſt, quod de intellectu adijciũt. Primi certè cũ primùm ei ſe phantaſma offert, parata ei eſſe omnia ad ſuam exprimendam ſpeciem, quâ obie-

ctum phantaſiatum, tanquam verbo mentis vt etiam appellant, elocutus intelligat; ſecundi verò, interuenire ex occultâ vi, ſiue phantaſiæ, ſiue intellectûs quam in ſe ſpeciem aut imprimit, aut alterius impreſſione ſignatam accipit. Nunc itaque ſi intellectûs noſtri hæc natura eſt & indoles, vt nihil quidquam poſſit porrò vnquam percipere, niſi quod in appoſito phantaſmate ſe ſe ipſi obijciat; pendet ex corpore ſic tanquam ex obiecto, vt loquentur primæ opinionis autores; neque enim eſt extra corpus phantaſma vllum; ſic autem tanquam ex comite & ſocio, vt ſecundæ opinionis ſectatores dicendum eſſe contendent, ſi cęcus ſit rurſum in omnibus, niſi cùm impreſſæ in ipſo ac ſignatæ ſeu virtute, ſeu occaſione phantaſmatis, ſpeciei vtendę copiam dat noua ac fermè præ-

uia phantaſiæ operatio. Quæ duo ſi cui fortè videbuntur parùm diſcrepantia, iuuerit tamen ita diſtinguere, ne quid vel confuſum, vel omiſſum, vt varia ſunt hominum iudicia, vllus arbitretur.

Quo tempore aut obiecto pendere ex corpore intellectus, quo liber eſſe videatur.

Caput X.

OPeræprecium eſt illud hîc obſeruare, quod in toto hoc negotio omitti non debet, alio autem loco vix poteſt commodiùs exponi. Eâ re meminiſſe oportet, quòd cùm intellectui propoſitæ ſint ad intelligendum res omnes; duplex eſt earum hac parte ordo; alter purè intelligibilium, ſenſibilium alter; quicquid enim ſub ſenſum vllum cadit, illud & ſub in-

purè ac in ſe intelligendorum facultas, quæ nihil eget phantaſmatis ope, ſed quòd ipſi eius vſu, hoc interim ſpatio, interdictũ eſſe probabile ſit, dum vnitus eſt corpori, quia corporeum ex parte dum eſſendi modum habet, corporeũ quoque aliquatenus operãdi modum ſequi cogitur, nec ſinitur anguſto velut in carcere habitans, vinculorum conſtringentium in operando prorſus obliuiſci. Sed iſtud partim antè indicatum eſt, partim erit dicendũ infrà pluribus Reſtat itaque vt dũ hîc viuimus ac ſentimus, de ſubſtantijs ſeparatis tantũ poſſimus intelligere quãtã ex cõcretis, referente ſenſu, philoſophandi occaſionem habemus. Poſthac verò, cùm è viuis exceſſerimus, ſi quod eſt illic animis noſtris reſeruatũ tẽpus, quod ſcimus quidem ac fide tenemus eſſe ſempiternum, ſed tamen interea ſub

conditione velut hæſitando ponimus, dum ab aduerſario, quantũuis litigioſo ac pertinace fas ſit extorquere. Tunc certè contrarius erit intelligendi modus, vt de naturâ corporum à qua iam ſemoti erimus, faciamus coniecturam ex naturâ ſpirituum, quam poſſidebimus vnicam; loquor enim vt naturalis philoſophus, qui futuram ignoret reuocationem ad vitam; quanquam nec ſoli coniecturę in eo genere locus illic erit; probabiliſſimum enim eſt in exeunte è corpore animâ remanſura quædam ſiue lineamẽta, ſiue veſtigia dixeris, aut notas & ſpecies quibus longè aptior ſit ad intelligendam rationem ſenſibilium, quàm ſi ſenſu omni ſemper caruiſſet; alioqui profectò commorationis in corpore, aut familiaritatis cũ beſtijs quem fructum haberet æterno tempore nobiliſſima

nobiliſſima naturæ portio? Nam ſi quis illud præfractè neget, negare certè non poterit, quin tunc anima non diſpares ijs ſpecies acceptura ſit à Deo, quas habent ab ortu Angeli. Ergo vt id etiam aliquandò altiùs repetam. Intellectus diuinus dum ſe attendit aliorum omnium naturale principiũ ac cauſam infinitam, explicatas habet velut in ſpeculo res omnes longè apertiùs & ornatiùs, quàm ipſæ in ſe ſint. Angelicus vt de ſe ſuíſque rationibus habet apud ſe à quo erudiatur pleniſſimè, de diuinis autem ſufficienter; quî poſſet enim vtcũmque conſtare ſibi ſpiritus totus quantus eſt in intelligendo poſitus, ignorato ſe, ſuóque autore? ſic profectò quæ ad alios ſpiritus attinent pro ingenitarum ſpecierum facultate, non ſecùs condiſcere poteſt in communi cum eis vitâ, quàm inter

nos alij aliorum facta, aut dicta, cæteráque huiuſmodi ex conuictu & ſocietate ciuili habemus in prõptu; conferunt enim haud dubiè egregiæ mentes illæ ſermones ſuos vnæ cum alijs, neque hanc, opinor, nos ipſis facimus inuidiam. At in naturâ corporeâ, à quâ longiſſimè abſunt, ne ſola eis coniectura ſuperſit, aut philoſophãdi libertas; rectè videntur ſtatuere harum rerum diſputatores, quòd habeant inſitas ab ortu ſpecies, aut vice earum quidquid illud eſt, quo intelligentia noſtra ad diſcutiendam quaſi caliginem corporum, & cognoſcenda materialia, informatur à ſenſibus. De nobis verò fortè non inſulsè ſic conſtituendum eſſe cenſebimus; vt animus noſter qui quidem Angelorum ſocius iam nunc eſſet & come non iniucundus, ſi immunitatem haberet corporis; ſe quidem ipſũ

clarè, cæteráque velut per vmbrá videre poſſit in ſe abſolutè; ſic autem vt poteſtatem hanc etſi non eripiat corpus, alioqui enim interimendus ipſi eſſet ipſe vi ſummâ, vſu tamen illo deriuatam aliò prohibeat, neque proinde coniunctus cum corpore ſpiritus hominis antè ſe aut factorem ſuum nôrit, quàm ad vtrúmque ſic tanquam per gradus corporum deducéte ad manum ſenſu peruenerit; ſolutus verò ſe nôrit ex ſe; alios à ſe ſpiritus, fortè etiam & corpora, more Angelorum; aut certè quibus ſe notitijs, per apertas animi feneſtras res iſtæ corporeæ in eum inſinuant, eas ſibi ſeruet, clauſis poſt mortem feneſtris vſui futuras etiam tunc; neque proinde, quod ſomniabat Plato, delatas ſecum in corpus ſenſim in dies excitet, aut reminiſcatur ſingula vt ſeſe variè hinc inde offerunt;

quid enim eum à natura ijs opus fuit quaſi copijs inſtrui, ac diuitijs quas propriâ induſtriâ parabiles habiturus erat? ſed hæc iam ad ré noſtram ſupra quàm ſatis. In ſummâ: intellectus noſter nullâ re intelligendâ, per me liber ſit à corpore hoc, dum eſt in eo; poſtmodùm tamen purè intelligibilia aliunde, ſenſibilia fortè etiam intelligit ex veteri eorum impreſſione ſeipſam certè in ſe tunc vel maximè repudiatâ corporis ope. Ac, poſtremum iſtud eſt, quod perficio, méque ad penſum reuoco.

Digitized by Google

Quòd neque ſic ex corpore tanquam ex obiecto pendeat humana mens in viſione ſuî clarâ, neque deficiatur neceſſario ad eam lumine.

Caput XI.

DE his duobus primum quidem quod pertinet ad diſtributionis exequendæ partem ſecundam, ſequenti magis; alterum quod fidem iam ſæpiùs datam liberat, præſenti capite diſputabo; quia tamen ex eodem velut fonte iuuat vtrumque haurire, ſatius eſſe iudicaui, communem hic vtrique quaſi venã apertam oſtẽdere. Vrgeo rem acriùs, & ad viuum reſeco. Anima dum eſt vnita cognoſcit ſe vtcunque, an nullo prorſus modo? ſecundum iſtud

ſuſtineri non poteſt ; quod enim alicui omni prorſus modo incognitum eſt, de eo fieri non poteſt vt ei ſermo ſit vllus, quippe cùm ſermo omnis ſit aliquantulæ tandem cognitionis rei de qua ſeritur interpres: Anima autem niſi de ſe loqueretur aliquando, profectò non veniſſet nobis in diſputationem hoc loco aut tempore, vt nihil dicam aliud. Nunc ſi primum das, accipio, rurſúmque interrogo. Cognoſcit ſe vtcumque in ſe, an in alio tantùm? illud, opinor, inficiaris; ſimul enim ac concederes, cauſâ cadendum tibi eſſet; ſiquidem nihil poſſet obſtare, quin ſoluta à corpore anima ſe in ſe videndi ius retineret quod habebat vnita, adeóque vel propter illud fungendum munus vnicum perſiſteret in rebus. In hoc ſecundo vt tecum hæream, quæſo te tertiò. Si ſe tantùm contemplatur

in alio, hoc eſt in corpore, in phantaſmate, in ijs quæ ſenſus attingit; neque velum poteſt abijcere, quo ipſa obtenditur ſibi; impedimento eſt natura vel ipſius vel corporis dumtaxat, ſi corporis duntaxat; certè beneficium illud habebit à morte corpus auferente, quòd tunc ipſa ſibi ſit, ad contemplandũ aperto velut ore propoſita, neque proinde deſerat locum in quo poteſt eſſe non ociosa. Reſtat ergo, vt quicquid illud eſt impedimenti in animâ, naſcatur ex ipſa. Porrò autem ipſa in eo de quo quærimus, ſpectari poteſt dupliciter; nimirum quatenus intelligit, & ex eâ parte quâ intelligitur; vt ſi ipſa ſibi obſtet, ne ſe intelligat ipſa in ſe, cùm intelligat interim in alio, id faciat dum intelligendi aciem habet haud ſatis acrem, nec dignitatis ſuæ quaſi gemmæ ſplendorem vel auri, po-

teſt illæſis oculis admittere ; aut ipſa è contrario alienis euoluta & nudata integumentis obſcurior eſt, quàm vt ſic ſimpliciter cerni poſſit à ſe. Eligat vtrum malit aduerſarius , perinde enim vtrumque habeo ac ſi vnum eſſet, quippe ſatis intelligo facile eſſe cuilibet vnum ex alio aut conficere videri aut ipſa re diruere : ſed ne ſatis fortè confuſum negotium nouis difficultatibus implicemus; reſiſtat nunc in primo. Ego certè inſto ac vrgeo. principiò ſic. Si cuius rei eſt aliqua in ſuo genere cũ aliâ conuenientia, profectò ſecum ipſius maxima : id enim in primis à naturâ prouideri debuit , vt ne diſſidium eſſet in re quaſi familiari & priuatâ ſingulorum, tum vt ex quadrantibus inter ſe multis conſtaret res omnium publica. Pax porrò illa & amicitia, ſi dici poteſt hoc nomen in vno, id po-

Digitized by Google

ſtulabat enixè, nulla res vt eſſet ſuo illo in genere ſeipſâ maior ac nobilior ; quid enim id monſtri fuiſſet? aut quò tandem euaſiſſet excellentia illa, quâ vnum quid ſibi præſtitiſſet ipſi in eo in quo natum eſſet ; ſi homo hominem non alium ſed ſeipſum viſus eſſet dignitate hominis antecedere; nonne continuò de eodé in eodé plus & minùs reperiſſes relatum ad idem? Iam ergo cùm animus hominis in numero ſit ac ordine intelligentium , ad quem etiam referri neceſſe eſt intelligibilia, quippe actus & potentia, facultas & obiectum ſimul habitant ; non poteſt certè intelligibilior ſeipſo eſſe quàm intelligentior, neque rurſum obtendi ab vllo , quòd plus habeat in ſe luminis emittendi ac intelligibilis quàm recipientis ac intellectiui; loquar clariùs; quòd ſuos, inquam, præſtringat

oculos ſi nudus appareat intellectus, id dici nequit niſi ab imperito: nouit enim in naturâ rerum id exequi neceſſitas, quod ratio nos monet liberè faciendum eſſe in moribus; ſuo ſe, inquam, metitur pede nec vlli rei de eo quod capere poteſt, æquum eſt vt plus admetiatur prudens diſtributrix, quàm intra ſe valet continere. Inijcietur hîc fortè alicui de imaginatione nonnihil ſcrupuli, tanquam ex eius naturâ ratio hæc infringi facilè poſſit; quo ſi ſe plusculum pungi ſentiet, quàm vt ſuſtinere poſſit tantiſper, dum euellam infrà, ab eâ ratione quam huc adijcio, medicinam interim repetat. Nam ſi vna eſt eadémque perfectio quâ intelligi, quáque intelligere poteſt quiuis intellectus, párque incrementum vtriuſque aut decrementum; nefas eſt de intellectu humano pronuncia-

Digitized by Google

re, quòd in eum finem vt intelligatur absolutior sit, quàm vt intelligat. Alioqui enim quod esset portenti simile, eodem numero, eadémque mensurâ, ex eâdem velut areâ cùm admensus esses emptori hordeum & triticum, fas esset arbitrari, quòd de vno plus accepisset quàm de alio. Atqui vna certè est & eadem perfectio illiusmodi: vt enim de intelligibilitate dixeris, lubet autem notiones antiquas nouis subijcere verbis, tantò maiorem eam esse in re, quantò maior à materiâ secessio; quod obseruat ac probat Philosophus in libris de animâ, nósque cum eo infra fusissimè; ita de intellectiuitate quoque, nisi qua est etiam hîc aurium offensiuncula; vnde fit vt quemadmodum quidquid est ab illâ concretione liberum, necessariò illud est intelligentiâ præditũ, sic contrà, quidquid intelligit,

inde ſe eximat, quæ eſt vtriuſque conſenſio. Abſurdum ergo ſit ac intolerabile apud omnes rerum haud ignaros penitus, quod intellectus noſter ſuo ſe fulgore abſterreat, vtque in ſeſe cõijciat oculos, extraneo eũ oporteat ridiculè amictum eſſe amiculo. Iterúm ne tua tibi imaginatio negotium hîc de ſe facit. Non tamen, ſi placet, faciam ipſe vt de hac effugij viâ pluribus hîc tecum, quam etiam ſimul cum ſequente ſenties, opinor, tibi in perpetuum præcludi mox adhuc firmiùs, poſtmodum autem parte operis huius quartà firmiſſimè ac planiſſimè, ſi Deus annuet. Difficile profectò eſt, ne dicam omninò fieri non poſſe, vt quis eam aduerſariò præſertim in errore obfirmato, rationem afferat, quam ſine exceptione ſtatim admittat; vt autem exceptio loco & tempore infirme-

tur, excludantúrque contraria, id demum eſt, quod vt æquitas iubet, ſic prò me ipſe ſpondeo. Interea verò ſi quis animum huc præſentem adiicit; quòd humanę menti videndi ſe in ſe facultas ex ſe haudquaquam abſit, quadruplex eſt comprobatio. Prima, quòd gratis ei dicatur abeſſe ab iis qui id dicunt, quid enim tandem cauſæ afferunt, cur dicant? Secunda, & tertia, quas hoc capite paucis concluſas, explicaturus ſum infrà fuſiſſimé, ſin minùs ſingulatim ambas, certè vnam ita, vt ex eâ eluceſcat alia, intelligenti enim pauca. Quarto denique loco numeranda eſt hæc, grauiſſima ſanè ac firmiſſima; quòd cùm nemini vnquam in mentem venire potuerit, vt facultatem quâ de agitur intellectui humano negare vellet, niſi cùm eum tueretur obfirmatè corporis vinculis alligatum; ne-

ceſſariò tunc ſaltem concedenda ſit, cùm his ipſum vinculis minimè conſtringi demonſtrauero, in quo quidem opere iam inde â principio illo videor vrgeri, quo viſionem animi claram ac nudam contendo nec vt ſubiecto, nec denique vt comite neceſſario, fulciri corpore; vt de hac partitione ſi ſecundam mox ac tertiam partem ſemel abſoluero, nihil poſſit aliud à me exigi.

Continuatio eiuſdem argumenti déque immunitate corporis ſic tanquam obiecti ſingillatim.

CAPVT. XII.

LOngo fractum itinere corpus vt opportunè mollis ad recũbendum in herba locus nonnunquam excipit ac recreat; ſic fermè poſt varios ſermonis anfractus neceſſaria eſt capitum diui-

ſio, in quâ nonnihil de contentione ſuâ animus legentis remittat. Propterea viſum eſt è re noſtrâ ſi eandem rurſus telam ordiremur ab eâ reſponſione quâ quis contenderet non idcirco impedimentum ſibi inferre animos noſtros ne ſe videant apertè vnquam & clarè, quòd micantiores radios nudi emittant, quàm ipſi poſſint recipere in ſe, ſed è contrariâ parte, quòd obſcuriore loco iaceant euoluti à corpore, quàm vt tantam ipſi caliginem ex ſuis velut oculis valeant depellere. Præſens ſit oportet, inquiunt, & coram intellectu quodcumque ab eo obiectum intelligitur, ob oculos ei ponatur neceſſe eſt, vt obiecti vicem ac nomen habeat; id quod cùm intellectui noſtro deſit ipſi ad ſeipſum, mutuari cogitur à phãtaſmate ſic tanquam à ſpeculo, à corpore ſic tanquam à ſpeculi ad-

miniſtro; quod eſt denique eum ex corpore velut ex obiecto, aut ſi mauis obijciente ipſum ipſi, in ſuî viſione clarâ pendere ſuſpenſum. Ita illi; quo fortè modo quia videbuntur alicui rurſum deſiderare in intellectu humano vim ſuî in ſe videndi, non longè enim inde tota hæc ratio aberrat, propterea dixi iam antè præcluſum iri aduerſario vnà cum iſtâ proximè confectam viam effugij. Quidquid ſit. Nos contra. Si quidquam eſt, cur hæc tota ratio obiecti ac ſpeculi videatur animo ad intuendum ſe neceſſaria, profectò vt ſe coram ſe poſitum reflectat ad ſeipſum, vt propiùs admoueat, aut etiam neſcio quam obiecti à potentia diſtantiam faciat, quâ carere nequeat in oculis animi magis quàm corporis, videndi conſuetudo; vel denique vt certa quædam hîc temperatio fiat, quam fieri oporteat

teat; quatuor hæc cùm excuſſero, vix, opinor, quintum afferri poterit aut fingi. Antè autem moneo, quæ hîc dicentur quæque capite proximo aut ei annexis, vt finitima ſunt loco & genere, ſic ſibi inuicem mutuũ, ſi quid opus, dare teſtimonium. Primum ergo ex eo infringitur, quòd cùm animi ſupra ſe ipſum reflexiones ſint infinitæ, vt eorum experientia docet, qui ſe pro arbitrio ac ſine numero ad cogitationes ſuas nouis ſemper ac nouis cogitationibus conuertunt; ſi penderet animus in ſeſe ita reuocando ab ſpeculatione phantaſmatis; quemadmodũ in ſimili de quo ſumpta eſt comparatio, ſpeculorum eſt natio multiplicatum opponens obiectum, ſic deberet eſſe phantaſmatum; quod ſi diceretur nonne veriſſimè illud ciues noſtri phantaſma eſſe dicerent ac figmentum?

quid enim ? cùm insurrexisset in nobis genus illud phantasię, vellet nollet animus, vt in præsenti speculo oculus corporeus necesse est cernat quidquid se offert; sic ipse cogeretur de se cogitare semel & iterum, tertiò ac deinceps. Deinde quî posset hanc circumflexionis vim intellectui conferre phantasma, quam mox audiuimus intellectûs ita propriam esse, vt nulli conueniat alteri ? De secundo verò ac tertio quid attinet dicere ? quasi verò simul animus possit propiori ad se & longiori accessu egere & recessu. Reijcia tur certè alterutrum retento de ijs altero quæ se inuicem euertunt. Nã de cętero, quid opus accessu eiusdem ad seipsum, cum quo profectò nequit esse coniunctior animus, quàm vt sit sine diuisione vnus ? Quid opus recessu, vbi quãtò maior est extremorum coniun-

ctio, & ſi fieri poteſt, identitas, tanto melior eſt rei conditio ? Attento iſtud excipiendum eſt animo. Intellectus, inquam, intelligendo fit res intellecta ; & quia omnium intelligendorum eſt capax, fit quodammodò omnia, quod ex rei veritate magis quàm ex ore Philoſophi in omnium ſenſus emanaſſe puto, ac ſi quid opus, oſtendam infra. Quid ergo neceſſe eſt ipſum, vt ſe intelligat, hoc eſt, vt ſibi coniungatur intimè, ſítque id quod eſt, ſi fortè non erat, imò quia iam erat, multoties illud ſit ; quid eum in finem fingemus oportere ipſum à ſeipſo ſecedere ? At hoc ipſum in viſu, inquiunt, corporeo videmus contingere, vt propiùs inſpiciendum & acriùs, amoueamus obiectum ab oculis. Profectò, quia per interiectum modicè ſpatium dum quocunque tandem modo impuram quandã

materiæ denſitatem exuit, ad tenuem ac ſubtilem cognoſcendi vim aptius fit & accommodatius; id quod in omni ſenſu ita comparatum eſt à naturâ, vt factus ſit pronunciato locus; *Quòd perceptibile ſenſu obiectum ſuperpoſitum organo, illud non excitet.* Enimuero intellectûs longè alia eſt ratio, quo cùm nihil quidquam ſaltem in homine fas ſit ſubtilius intelligere ac diuinius, abſurdiſſimum eſſet ipſum à ſe tantiſper diuellere, dũ excuſſâ craſſitudine ſuâ, fieret ſeipſo ſubtilior ac diuinior. Atque in hunc penè modum refelli poteſt quod ſuperat de temperatione illâ exquiſitâ; iſtud enim vt referendum eſſet neceſſariò totum ad ſubtilitatis iam excuſſæ augmentum inane cùm ex ijs quæ iam nunc obiter dixi, dicturus poſthac fuſiùs, tota intelligendi ratio in quodam velut acumime

& longè ſemoto à materiâ apice videatur eſſe poſita; ſic ſe profectò nunquam ſi in iſtum locum proceſſerint, explicabunt aduerſarij. Videamus ergo ecquod aliud habeant perfugium à nobis obſtruendum: hactenus enim quin ſe videre poſſit in ſe animus hominis, neque obſtat virtutis in videndo defectus, neque viſionis dependentia, aut omnis ſimpliciter ab organo, aut huius ab obiecto corporeo: quod vtrúmque adhuc plus plúſque certum faciet diſputationis progreſſus.

Quòd neque ſic ex corpore tanquam ex comite ac ſocio pendeat humana mens in viſione ſuî clarâ.

CAPVT XIII.

FN Rhodus, en ſaltus, auſim hîc iterùm dicere, hæc ſummâ contentione pugnanda aduer-

ſarijs pugna, in quâ ſi copiolas amiſerint, quî manum aliam faciant aut vnde expectent, non video. Erumpat ergo tandem vera & digna bellatoribus vox. Sine impreſſa ſpecie & ſignatâ aut propriâ aut alienâ nihil eſt, inquiunt, quod poſſimus intelligere. Segregatus verò à corpore animus vt vigeret adhuc, ínque ſuî ſaltem cognitione otium ſuum conſumeret ex propria an alienâ ſpecie id haberet? ſi de propriâ dixeris, vide ſis vnde ei adueniat, quâ carebat in corpore; ſi de alienâ: at huius ne in corpore quidem vllus ei erat aut eſſe poterat ſine comitante phantaſmate vſus, alioqui & in ſomno fuiſſet arctiſſimo; quò fit vt de extinctione omnis ſenſûs in diſſolutione, id eſt morte, non ſecùs ſtatuendum ſit, ac de eo quem nocte concubiâ, medijs in ſyluis perfidus ſeruus ab eo lumi-

ne deſeruiſſet, quod ei præferebat clariſſimum: is enim vt reliquum noctis cogeretur in ſomno ponere vel otio: ſic certè in animo fieret ſine famulatu ſenſuum aut lumine, vt torperet otio ac ſomno ſempiterno; neque enim expectandum vt luceret vnquam aut ianuam aperiente naturâ reditus pateret vitæ, hæc illi. Nos porrò ad illos quid tandem? Principio ſanè; etſi ſpecie ſuî à phantaſmate abſtractâ, atque adeo alienâ nequeat intellectus noſter ſine eiuſdem phantaſmatis ope ſociâ in his vinculis vti, quam ex ſe decerptam vtique non ſinat forte phantaſia ſine ſui adiunctione in actum intellectûs impendi: non ſequi tamen ex eo, quòd ne id quidem ei concedatur, cùm ex eis euolarit; quin enim longè plus poſſit ſolutus quàm vinctus nullum ei dubium eſt qui conſiderat cum

animo ſuo, partim quomodo ſit ipſe tantò ad rerum intelligentiá aptior, quantò magis magíſque à ſeruitute corporis in inchoatam ſeſe quaſi libertatem vindicarit, vt fit in arduâ cogitatione aliquâ, quæ mentem à ſenſibus tantum non penitus auocat; cùm è contrario hoc ſit hebetior, quo ſe magis in materiam immerſerit, vt fit in bene farto, aut nondum à cibo prorſus quieſcente ſtomacho; partim etiam quàm æquum ſit tempus illud poſt mortem eſſe, quo tempore intellectus inſculptas in ſe ab phantaſmate ſpecies, eo non moto poſſit vſurpare; quandoquidem inter ſomniádum, ſenſus ipſe interior phantaſmata ſua ab exterioribus accepta ijs non motis ſuo conſumit in opere; cùm tamẽ qui intus eſt quíque extra ſenſus, vt minùs diſtant inter ſe, quàm ab intellectu, ſic quoque neceſſariũ

Digitized by Google

ſit magis illum pendere ex hoc, maiorem ſecum coniunctionem habere, quàm reuerâ habeat intellectus cum altero. Hac ergo reſponſione ſi vti velim, quis merito obſtrepat? Sed tamen quia aliquid fortaſſe habet non vſquequaque ad conuincendum erroré efficax. Pergamus ſi quid ſe offerat robuſtius. Nam quòd ſe torquent aduerſarij in ſpecie propriâ aut alienâ; totum id vt verbo prę-cidam. Aio ſuperuacaneam eſſe, nihílque neceſſariam ſeiuncto à carne ſpiritui, ſpeciem huiuſmodi vllam, cùm ſine eâ poſſit nudam velut oris ſui ſpeciem protinus contemplari Aio verò ac probo. Species, impreſſa ſi quem vſpiam habere poteſt vſum, his certè de tribus vnum aut alterum: vt potentiam ad obiectum applicet, vt aſſimilem, aut fœcundam eius velut parentem reddat. Hæc enim

trialmpreſſarum autores cùm ſunt elocuti, cóticeſcũt. Iam de applicãdâ obiecto potentiâ, aut quod eôdem recidit, de admouendo potentiæ obiecto, quæ dici hîc poſſent, ex proximè antecedenti capite repetenda ſunt; quid enim cùm eſt intelligendus intellectui intellectus, opus eſt aliunde obiectum potentiæ, hoc eſt, ipſam ſibi intelligendi vim propinquiorem fieri, quæ ſi poſſet à ſe tantillum auelli, iam in nihilum ſubitò occideret? formam verò & ſuimet ipſius ſimilitudinem, in quo poſſet quàm in ſe habere inſignioré intellectus? & quia fœcunditatis quæcunque hîc ratio ineſt, naſcitur tota ex ſimilitudine & imagine: nonne de tribus propoſitis iam liquet, cùm ſibi eſt pro obiecto intellectus, hoc eſt, cùm ſe habet intelligere, neque propinquitatis & appoſitionis, neque

ſimilitudinis aut fœcunditatis cauſâ recurrendũ ei eſſe ad ſpeciẽ impreſſam, ex qua nihil quidquam expectare poteſt, quin oriatur totum ex ipſo abundantiùs. Sed intelligo quàm difficilis ſit explicatu locus hic de ſimilitudine & fœcunditate intelligentis; quem ne fortè videar, ſubterfugiendi laboris cauſâ, curſim ad extremum voluiſſe attingere; inſtituatur à principio ac tandem perficiatur.

Cuiuſnam tandem ſimilitudinis aut fœcunditatis vi habeat intellectus vt intelligendo fiat quodammodo omnia.

CAPVT XIV.

ARduum profectò opus aggredimur, ſed hac diſputationis parte neceſſariũ in primis: videor enim mihi exultantis ac tri-

pudiantis aduerſarij vocem exaudire; quòd expoſiti poſtremùm argumenti facilis ſit & prompta reſponſio; quódque vt intellectus ſimilitudinem ſuî naturalem longè habeat ex ſe inſigniorem, quá ex vllâ alia re ſperanda ei ſit, non tamen intentionalem, quomodo aiunt, ſiue ad intelligentiæ exercitationem aptam; hanc autem illam eſſe, cuius obtinendæ cauſa ſpeciem impreſſam cùm vtendam poſcat, neque poſt mortem vllâ aſſequatur, neceſſe ſit tandem eum illo tempore, à ſuî, atque adeo rerum omnium cogitatione vacuum, hoc eſt, ocioſum fieri & nullum. Ita ille; quo dicente nemo non videt diſtinctionis illius faciendum mihi eſſe vt effugium abſcindam, aut firmiſſimum ad probandum argumentum mihi ſinam è manibus eripi. Quare vt in propoſito maneam, & nouæ

quæſtioni faciam ſimul ſatis. Effatum illud Philoſophi, *Intellectum eſſe quodammodo omnia.* præterquá, quòd ei ſemper nationes omnes gratulatæ ſunt plauſu maximo; illuſtrem habere dico aut probationem aut explicationem tum in ore doctorum omnium, cùm affirmant id quod intelligitur in intelligente eſſe, ab intelligente apprehendi, & cogitatione ſic tanquam manu capi, vt apud ſe habeat eóque informante ſit ille videlicet intelligentiâ ſua fretus iam illud quod intelligit; tum maximè in materia rerum ex qua & in qua ſunt omnia quę videri poſſunt aut ſentiri. Atque huius ſanè notatu digna eſt cum intellectu concordïa, ſeu magis diſcordia dici debet. Hic ſummum, infimum illa tenet in rerum diuiſione locum; huius eſt ad agendum, illius ad patiendum potentia quædam vni-

uerſaliſſima ; vtriuſque mira ad partem naturæ capiendam indoles. Ea eſt in materiâ ſinûs amplitudo, vt ſuccedentibus ſibi in eâ formis omnibus, in rationem tranſeat omnium, déque igne nunc ſit aqua, nunc aer, nunc terra, aut aliud quodcunque corporum. Neque vero intellectûs minores anguſtiæ, imo capacitas lógè maior, cuius eſt ſuſceptis in intelligendo non modo corporum, ſed & aliorum omnino omnium formis ac ſimilitudinibus, poſſe non iam per vices, ſed ſimul ac ſemel fieri quodammodo omnia. Hoc certè diſcrimen vtriuſque, quòd materia ipſiſſimas rerum formas admittat, adeóque illud ſit quod eam eſſe iubent, próque ipſarum modo digno aut indigno, vt caſus inciderit ; intellectus autem extenuatas, & ſuis euolutas deformitatibus ſibi ac-

commodet, vt non eo quem ipſæ per ſe ei affingerent, ſed ſuo intelligibili quodam modo, quemadmodum loquitur Auguſtinus, & quâ parte res corporeas attingit excellentiori, ipſarum naturæ particeps ſit. Atque hoc cur ita ſit, ſi fortè quæritur, aut ſcrutanda cauſa eſt rei abſtruſiſſimæ: non inſulsè, meo iudicio, ab hoc ſimili ad eam penetrare poſſumus. In pingendi arte aut fingendi, quia ſimilitudinem ac formam habet eius rei quam imitatur imago aut ſtatua, nomen quoque ipſi de nomine facimus audaciùs, & Regem aut Ducem dicimus eſſe, cùm de artefactâ Regis aut Ducis effigie ſermo ſit; quòd ſi voce tenus id intelligimus in mutis ac non ſpirantibus lineamentis; re tamen ipſâ contenderemus ita eſſe, vt aut tela non modo viuis infecta, ſed animata coloribus, aut æs & argé-

tum in quo non modo inciſa, ſed verè ad viuum expreſſa Minerua, inanis illius deæ non inanis adumbratio, imo certa quædam & compar cenſeretur eſſe propagatio, ſi ſuo, inquam, operi vitam indidiſſet artifex veram ac propriè dictã. Quidni igitur cum in ſeſe pictor egregius intellectus ſic tanquam in tabula, quod notiſſimum eſt, cogitationum ſuarum obiecta, eo penicillo pingat, quod ſuis coloribus ac formis vitam verè inſtillet intellectualem, dicetur id verè eſſe cuius forma ac ſimilitudine ſed ea ſpirante ac viuâ ſeſe mirabiliter imbuit. Ergóne corpus illud quod nomine ſolis ſolemus appellare propterea ſol erit quia illius aſtri formam habet quamuis vitâ carentem ac ſpiritu; intellectui autem non conueniet vt ſol ſit, & quidem hoc meridiano illuſtrior, cum de eo cogi-

eo cogitando, eius in ſe formam inſinuabit viuam & videntem, imo quæ ipſa ſit eius viſio animata.

Deductio eorum quę dicta ſunt proximè precedenti capite.

CAPVT XV.

SI ea quæ iamnunc à me dicta ſunt, ad hoc tantùm pertinerent, cuius cauſa in ſermonem eorum viſus eram ingredi, ſatis fuiſſet ad calcem ſuperioris capitis hæc indicare; ſed quia ex ijs patet aditus ad plura, conijciemus in hunc & ſequentem locum ſeparatam tria potiſſimùm aut quatuor horum conſectaria. Primum eſt, quòd ex allata Intellectûs & materiæ oppoſitione aut conuenientia hæc ſis etiam clara ſit, vt eſſet aliunde obſcura, immortalitas animæ. Si enim idcirco incorrupta

manet corporum materia, quòd formis omnibus congruens de illius poſſeſſione quâ fortè nunc contenta eſt vt exiſtat, exturbari non poteſt, niſi adueniente aliâ, per quam rurſum ex æquo ſit; quo fit vt cùm ſemel cœpit, nunquam eſſe deſinat, dum quod ei vnius abſceſſu perdendum eſſet, alterius vendicatur acceſſu. quantò æquiùs intellectus longè pluribus formis aptus ijſque ſimul continendis, quod ab eis habet vt ſit, imò vt viuat, vt intelligat, id erit in æternum tempus, quando nulla collatum ei ab aliâ beneficium eripit, omnéſque conſentiunt in eo exornando mirificè. Neque porrò eſt quòd vllum moueat, ſi veniat in mentem aut has eſſe formas tum accidentales, tum intentionales; aut materiam eſſe de ſe ſubſtantiam, cui nullum ſit ab deſtitutione ſubiecti periculum, id

quod quæritur an conueniat intellectui. Primùm enim absurdissimum est arbitrari plus valere ad subsistendum quod est imperfectissimum omnium, quàm quod perfectissimum in paucis. Nam vt id etiam in genere dicam obiter: si quæ duo sunt in his inferioribus eximia, materia comparetur cum forma; hæc sanè robustior est illâ, neque tam forma materiæ, quàm debet materia formæ quòd subsistat. Scio equidem diuturniorem plerumque ex eo materiam esse formâ, quòd possit cum pluribus formis, varijs temporibus componi vnica; vni verò materiæ quælibet ferè forma sit adstricta: sed id profectò non obstat quin forma substantialis cùm sit ipsius substantiæ quasi medulla & succus consistendi vim materiæ magis tribuat, quàm accipiat ab eâ. Vnde sequitur, vt si quam formam

fas est ab vinculis illis materiæ vnius aut plurium absolutam aliũde retinere in naturâ, nihilo plus sit ei quàm materiæ ab destituente subiecto periculi : fas autem intelligentem formam, vt vel hæc cum materiâ in suscipiẽdis rerum formis, conuenientia indicat : quod enim de accidentali aut intentionali earum ratione obijciebatur insuper, propterea nihil est cur vllum perturbet; quia cùm nobis constet de formâ intelligente quòd substantialis sit, alioqui enim vnde esset in homine ratio substantiæ? satis est ad comparationis allatæ congruentiam, si modò varietas ostendatur formarum tandem aliquarum in eâ, vt in materiâ, quarum velut ornamentis decorata perennibus, habitura sit gloriationis æternæ segetem, nec materię consortium desideratura sit magis, quàm formam vnam

materia præ aliâ. Profectò enim vt huic ad ſubſiſtendum nulla eſt in formis accommodatior aliâ, ſic illi ad viuendum materiæ ſocietas præclarâ ſolitudine illâ haud quaquam optabilior, quam illuſtri ſuo comitatu ſimilitudines illæ & conſtantes rerum formæ quâuis frequentiâ iucundiorem reddant. Alterum eſt deducendum ex dictis, ſi licet aliquando lineam in ſcribendo paulò laxiorem tenere; vt conſideremus quàm conuenienter rerum etiam philoſophicarum principijs congruentérque loquantur Theologi, cùm Verbũ Patris æterni imaginem eſſe declarant & filium in genitoris ſinu permanentem. Profectò enim ſi hæc eſt intelligentiæ cuiuſlibet virtus, vt qui intelligit tum intellecti ſimilitudinem viuam exprimat, tum ſit id quod ipſum eſt, & alterum quaſi ipſum in ſe produ-

cat. Intellectio suî in Patre illo primo ac vero, quid nisi Filium ex se verum ac viuam vi suâ proferet patris imaginem? sed hæc si videbuntur alicui Παέρεργα, quod sequitur magis erit huius operis proprium.

Deductionis eiusdem continuatio.

CAPVT XVI.

ELiciendum nobis est tertio loco ex capitis 14. doctrinâ, quo eius ipsius principio contentę obiectioni faciamus satis. Et sanè si speciei impressæ ac signatæ eum pręcipuè in finem, quod vidimus, authores aliqui mentionẽ faciunt, vt intellecturus obiectũ aliquod & illud more nouo, intelligendo producturus, eius antè similitudinẽ habeat, quàm noua causa sit, cùm natura in causis omnibus præiacentem aliquatenus effectuum omnium virtutem assi-

nilem ſolita ſit includere. Aut ſi nauis; cùm ſimilitudo illa ſpeciei illius, ſit in intellectu tanquam id quo ſeminatur ſtirps, vt ita dicam, obiectiua, ab cuius impreſſione fœcundum quaſi ſit intelligentis pectus, & partum edat intellecto, ſi fas, nihil diſſimilem. Quorſum illa diſtinctio ſimilitudinis naturalis & intentionalis atque extenuatæ? quaſi verò naturalis & integra non ſit ad eam rationem aptior, quàm in cauſâ aut gignente requirunt omnes. Age porrò, quid putas eſſe cauſæ cur ſpecies illas & formas exiles ſi quas habet, natura extenuârit? Nonne vt ne intelligenti impedimento eſſet in pleriſque naturalium craſſities & quaſi pinguedo; aut etiam ne tunc fortè deeſſet quam præexigebat cognoſcendarum rerum ſimilitudinem, ſiquando vim earum phyſicam & effectricem nullam habe-

ret in ſuo complexu. Quid ergo iuuaret intellectum ad ſeſe intelligendum ipſum prę extenuata aut intentionalis ſuî ſimilitudo, quem neque impedire poteſt naturalis pro ſubtilitate ſuâ, neque deſerere pro identitate? Rurſum quid ſpectabat aliud in totâ re iſtâ natura ſuî ſanè operis intelligens, niſi vt ſi fas, & fas in Dei eminentiâ, ſubiret intellectus intellectionis ſuæ vi rationem intellecti non iam adumbratam, aut imminutam, ſed certè rectam ac perfectam; & quemadmodum inter corpora dilatato materiæ ſinu, habet quo faciat reapſe in vno materiatum omne; ſic beneficio ſublimioris ſubſtantiæ, faceret item & renouaret in vno quicquid vſpiam eſſe poteſt abſolutè. Ad hoc autem, quantò paratior eſt naturalis quàm intentionalis ſimilitudo? detur ergo ei locus cùm ſeſe offert, vt facit in eo

le quo quęritur. Concedatur, in-
uam, id quod negari non poteſt;
uòd ſi intellectus noſter ad ex-
rimendam intelligendo obiecti
ıı ſpeciem, antè imprimi debet
liâ quadam eiuſdem ſimilitudine
on ita accuratâ, id in eo locum
uidem habet, cuius non eſt in
ſo ſignata ab ortu longè perfe-
ior: At cùm ipſe ſibi pro obie-
o erit; quoniam quâ pollet ne-
ſſariò ſuî ſimilitudine ingenitâ,
. confert ei ad rationem aut cau-
, aut gignentis, aut ſubtilitatis,
t præſentiæ, aut denique eſſen-
e quaſi multiplicis, longè me-
ore ac excellentiore modo, quæ-
nque adiumenta ab intentiona-
x attenuatâ ſimilitudine expe-
ıri poſſent; hanc dicemus pro-
ctò tũc nihil eſſe cur requirat. Et
rò de intellectu Diuino aut An-
lico quando idé concedunt om-
s ſpecierũ defenſores, quid hæ-

ſitandum eſt in humano? Intellectus diuinus nonne ſine adiectitia ſpecie videt ſe in ſe ac ſecũ omnia? tantóque ſe Pater ęternus perfectiori verbo eloquitur, hoc eſt, eiuſdem ſecum ſubſtantię, quantò ad illud ex ſe intelligendo proferendum natura diuina plus valet in eo ſeipſa, ſuâque ſecum identitate ac ſimilitudine naturali, quã vllâ quæ fingi poſſet, intentionali & imminutâ. Id quod totum ſi volumus ſpeculari attentiùs, intelligemus rurſum hanc eſſe cauſam optimam, cur ſibi ſoli ſit comprehenſibilis Deus; quòd vt ſolus diuinitatem poſſidet, ita ſolus quoque obiecti comprehendendi velut ſimilitudinem in eâ habens & ſpeciem non fucatam, non adiectitiam, aut intentionalem, ſed realem, ſed eiuſdem cum ipſo ponderis, valeat intelligendo illiúſmet obiecti, hoc eſt ſuî ipſius

quaſi nouam etſi non aliam vtique aut diuerſam, ſed eam pariter realem ſubire non intẽtionalem; qui eſt ipſi ſummus ac perfectiſſimus adeóque ad comprehendendum aptus ſuî intelligendi modus. Ac ſanè hunc natura cùm affectet in omnibus, in diuinis tantùm conſequatur ex toto; vt intelligens tum intellectum ſit vi intellectionis ſuæ realiter, tum verò intellectionem ſuam ex ſimilitudine reali hauriat, quam in vſu ſcholæ identitatem dixeris; de his duobus poſtremum quidem in angelico fabricata eſt & humano intellectu, dum ſe quiſque eorum intelligit ſine ſpeciei impreſſione vllâ; primum in Deo vno admiratur, cuius intellectio ſola ſeu eſt ipſa per ſe ſubſtantialis, ſeu terminum habet rurſum ſubſtantialem in eo in quo habet. Ex his porrò quàm facile eſt de naturâ

intelligente id intelligere; quòd eò feratur omnis quantum valet, etiam illa quæ creata eſt, vt intelligendo fiat ipſa res intellecta non modo vmbraticè & intentionaliter, ſed verè ac realiter, ſi fas, pérque prę̨iacentem ſeu tempore, ſeu naturâ ſeu ratione obiecti ſpeciẽ ac formam item realem, vbi de cætero nihil eſt in eo quidquam incommodi: tunc autem nihil apparet; cùm intelligendi principiũ ſiue humanum ſiue angelicum ſeipſum habet intelligere. Verùm de angelico quod cœperam dicere, dum diuinus intellectus orationem meam non ſine fructu noſtro, vt ſpero, ipſiúſque gloriâ, quodammodo abſorbuit, atque vtinam, iterum autem vtinam, cor ipſum iugiter totum ad ſe conuertat ac rapiat. Angelicus, inquam, intellectus ſi habet ab ortu aliarũ creaturarũ ſpecies impreſſas

ne illarum ſit ignarus, ad ſemet-ipſum certè nihil eſt cur fingatur quidquam habere ſimile; ſed ea quæ ipſi à natura ineſt ſpontanea ac naturalis ſecum ſimilitudo ſatis ei eſſe dicitur ad ſuî ſpeciem intelligendo exprimendam. At qui humani intellectûs par eſt nec inferior hoc loco conditio. Ratum ſit ergo illud & fixum, quod vnum hactenus potuit moram inijcere: intellectui, inquam, humano cũ ſoluitur à corpore nihil obeſſe ne ſe intelligat, impreſſæ ſuî ſimilitudinis aut propriæ aut alienæ inopiam, cùm ipſe ſibi per ſe quàm aliunde longè ſit etiam ad intelligendum ſe, aptior ac ſimilior.

Exemplo cauſarum naturalium tota res iſta de ſimilitudine ad intelligendum requiſitâ tranſigitur iterum & illuſtratur.

CAPVT XVII.

ABſtruſa ſanè quidem ſunt & recondita naturæ conſilia, ſed ea vt in medium ſemel protuleris, mirum eſt quàm varijs ac certis ſeſe prodant indicijs. De intelligendi vi ex comparatione materiæ patientiſſimæ, vt hoc in eâ verbo vtar ac deſertiſſimæ ex ſe adeóque rerũ omnium viliſſimę, philoſophati iam ſumus ad rem noſtram; ad cauſas agentes quæ oppoſitum dignitatis locum tenent operæpretium eſt argumentationem transferre. Neque enim profectò ſine cauſâ Philoſophus & ab eo deinceps, aut ante eum eliqui ferè omnesquotquot de

intelligendo ſcripſerunt, intellectum poſuêre duplicem, vnum Agentis, alterum Patientis nomine, quorum hunc ad materiam referas, vt antè fecimus, illum ad cauſas naturales, vt faciendum hîc eſt. Agens ergo naturale, ignis verbi cauſâ, obſeruando notare dignum eſt in hac diſputatione, quid ſequatur in agendo propriè, aut quâ ratione incumbat ſuo operi, ſuo inquam, quæ enim dici ſolet emanatio, ea iam non eius vnde fluit, ſed producentis opus eſt. Intendit, vt loquuntur aſſimilare ſibi paſſum. Verba ſunt ſolennia, & vſitata, quæ ſi poſſim ne pro melioribus quidem velim immutare: quæramus quid ſubſit rei. Paſſum illud ab agente ſcilicet oportet aliud eſſe in primis; ſícque non ſe ſuâ arte expoliendum, ed aliud quiddam aſſumit; tum ctione ſuâ ſimilitudinem ſuî ad-

umbrat in eo ; quorsum id ? aut cur neque se sibi, neque suî dissimile aliquid impendit alteri ? Nimirum quia ipsum quandiu tantùm est agens naturale æternitatẽ affectat non tam suam ac propriã, in quâ elaborandâ frustrà esset, quàm suæ naturæ ac speciei. Et hinc illa huius cautio ac prouisio quâ virtutem ei non tam sibi quã alijs vtilem dedit; vt cùm singula non posset, de genere singulorum vnum semper aliquid solerti illâ propagatione similium in sinu haberet & complexu. Hinc illa quoque in huiusmodi, actionũ transeuntium, vt vocant, ratio vnica. At intellectui longè aliud natura est. Sua est ipsi actio, sed quam extra se non effundat, quámque proinde immanẽtem dicant: suus est intellectui finis propositus ad quem suos veluti conatus & consilia referat, non iam autem vt aliud

aliud, immò vt se exornet ipsum; non vt suî simile loco velut suo constituat, sed vt omnium in se similitudines transferat. Quorsus inquam isthuc? Nonne quantùm naturæ intererat vt ignis generaret ignem, tantùm quoque vt intellectus intellectum? nisi quòd si non gigneretur ignis ex igne, breuî profectò extingueretur totus, cuius partes singulæ quasi vietæ sunt & caducæ; intellectus autem quia nullus vnquam moritur, nihil est cur vllus de propagandâ specie aut quasi hærede sibi instituendo sollicitus sit. Intelligo quid hîc dicturus sis, déque procreatione hominis in quâ amplificationem quoque intellectûs fas sit obseruare allaturus; sed illud respondsum præterquam quòd in substantijs abstractis siue Angelis (de Deo enim quid attinet hoc loco dicere?) nullâ vim habet, quis non

videt pinguioris esse mineruæ? Profectò enim nó est homo genitus opus intellectûs ipsius gignẽtis, quẽ vt gignat nihil refert sapiés sit an stultus: de opere autẽ intellectûs quæstio est, nũ illud natura propterea noluerit, inter nos aut Angelos, alium esse intellectũ, vt ab igne ignis existit, quia non sic extinctionem intellectûs verebatur vt ignis. Neque verò de sensu cùm instabis mihi, magis erit in eo quod timeam ipse; vt enim illud omittam dicere quod nunc ostendebam aliter habere in homine & in intellectu; propagatis animantibus sensum prorsus omnem quicunque esse potest simul exoriri nouum; diuersa prorsus hoc loco ipsius causa est ac intellectûs; de intellectu siquidem eò prolapsi sumus disputando, vt quando concurrunt reliqua, nisi quid afferatur cur sibi ad se cognoscen-

dum non ſufficiat ipſe ſuî haud diſſimilis, nihil poſſit impedire quin vitam à morte meliorem nãciſcatur; vnde fit vt hæc ipſi immortalitas ex eo potuerit argumento interim confirmari, cuius dabatur occaſio; in ſenſu quem ſuæ actionis indoles vt ex contrariis coagmentatum, ita corruptibilem exigit, alia ſunt omnia, vt vides. Verùm eſt hîc aliud quod orationem meam magis iuuat. Agens enim naturale ſi propterea quia ſuî in alio effingendi & exprimendi cauſâ id omne molitur in quo vires ſuas exercet, oportet inprimis non differre ſecum; nonne pariter intellectus cùm propoſitæ ad intelligendum rei ſibi ſiſtendæ ac repręſentandæ cauſâ agat, videmur enim quaſi in præſentiâ habere & manu prehendere, quod intelligentiâ peruadimus, vnde etiam natæ ſunt ac receptæ illæ lo-

quendi formulæ, cùm nos rem memotiâ tenere, cogitatione complecti, cùm dicti autfacti alicuius veniſſe nobis in mẽtemdicimus & huiuſmodi ſermonibus alijs vtimur, in quibus apparet quòd intelligentis obiectum arbitremur preſentiſſimum fieri ipſius induſtriâ; cùm preſertim id in oratoris laudibus ponimus non vltimum, ſi viſus eſt oculis ſubijcere quod agebat, quippe verba enim eius, vultus ac geſtus totus animi ſpeciem ac formam expectamus vt edant; rerum autem ipſarum, animus. Nonne hæc inquam, cùm ita ſint, pariter cum cauſis naturalibus, ſimilitudinem requiret intellectus; ſecum illæ aut cum effectu producendo, iſte cum obiecto. Conſtat ergo vel hinc quòd intellectio in aſſimilando obiecto poſita ſit. Mox autem cùm id conceſſeris; vide quò progrediar; vt

Digitized by Google

enim rurſum in cauſis naturalibus, quo ſimilitudo cauſæ maior eſt & expreſſior in opere, hoc certè præſtantior effectio; ſic etiam in intellectu fiet, vt quo coniunctior erit & ſimilior obiecto, hoc ſit ad ſuũ erga illud munus, hoc eſt, ad illius intellectionẽ meliùs inſtitutus; quando idem in ſuo genere vtrique propoſitum, agenti & intelligenti. Perge porrò. Ipſe igitur ſibi cùm erit ad intelligendum propoſitus, quid ſequitur niſi vt de ſuâ ipſius ſubſtantiâ, quâ nulla melior eſſe poteſt eiuſdem imago, notionem ſuam poſſit exprimere, neque iam aliam aliunde anteceptam ſuî informationem requirat. Id verò quid aliud eſt, quàm homini quâ parte intelligit idcirco legibus naturæ immortalitatem non ad ſpem oſtendere, ſed certò confirmare; quòd ipſius anima cùm deſeretur à corpore,

tum demum eâ ſe poſſit operatione ſuſtentare, quam vt neque inſtrumento corporeo neque vlli adiectitiæ ſpeciei debeat; ſic teneatur ijſdem neceſſitatis vinculis quibus ſtat ſub Deo mundus, ipſamet animæ fulcire ſubſtantia. Venerat id quidem vſu mihi iam antè ex parte, ſed arbitratus ſum tam bonam cauſam non poſſe nimis ſæpe à patrono informari. Nunc itaque cùm de propoſitis ad probandum aut neceſſarijs nihil prorſus reſtare intelligo; faciam, niſi moleſtum eſt, imò quod iucundum fore ſpero, vt refricatâ totius argumenti memoriâ, ſi quid fortè rurſus diſperſorum lectio plus plúſque conferet ad eam in animos hominum inſinuandam veritatẽ, cuius eſt in omne tempus vtilitas tãta, quartâ tandẽ huius operis parte, infirmentur dantúrque contraria.

Totius argumentationis nouata & iterata tum ex arte tum ex obſeruatione locorum ſtructura.

CAPVT XVIII.

AB ædificatoribus non imperitis quod factitari videmus identidem, vt ſi quæ fortè vel acceſſio vel mutatio facta eſt exemplaris quod ſibi initio propoſuerant imitandum, adeo vt deficiat aliquâ parte ad illud ædificij conſtructio, aut contrà; tum demùm cùm eſt impoſitum operi faſtigium, aliam ſibi eius ſpeciem in pariete aut conclauis aut horti, vt caſus tulerit, ita paſſim adumbret, non cuius iam veſtigia ſequantur in reconcinnandis ædibus in quibus tectum eſt abſolutum, ſed vt ſit in eâ domus tota ad aſpectum

quò facilior hoc etiam venuſtior. Quem illi morem, vt dixi, in lapidibus & lignis tenent, nos in rationibus componendis ſi ſecuti fuerimus, quis conſilium improbabit? Age igitur & ſi fortè quæ eſt initio propoſita argumentationis totius ſeries non habet eadem in ſe omnia, quæ in explicatione poſita ſunt. Suggeramus hoc loco integriorem aliam, in quâ rurſum vt in oſſeâ hominis effigie, detractâ vberioris orationis tanquam pelle & carne, primo ſtatim aſpectu, quanquam is neceſſe erit ſit hominis in iudicando acris, fas ſit peruidere quàm ſolidè ac venuſtè, non corpus implicatione neruorum & iunctione partium ad paucos fragilis vitæ annos natura munierit, ſed animũ hominis auctor naturæ Deus ſempiternis ſæculorum ætatibus in intelligendo conſumendis parem effecerit,

Structura argumentationis auctior & distinctior. 1

Cui conuenit modus operand ſeparatus à materiâ, conuenit & eſſendi; *ex huius tertiæ partis c. 3. 4.* & communi omnium voce.

Sed animo hominis conuenit modus operandi ſeparatus à materiâ.

Ergo & ipſi conuenit modus eſſendi ſeparatus à materiâ.

Probatur Minor.

Cui conuenit intellectio ſuî nuda & clara & intuitiua, ei conuenit modus operandi ſeparatus à materiâ.

Sed animo hominis conuenit intellectio ſuî nuda & clara & intuitiua.

Ergo & animo hominis conuenit modus operandi ſeparatus à materiâ.

Probatur maior huius ſecundi Syllogiſmi.

SI intellectio ſuî nuda, clara & iutuitiua eſt modus operandi ſeparatus à materiâ, cui conuenit illa, conuenit & hic. Sed intellectio ſuî nuda &c. quod oſtenditur.

Quę intellectio non pendet ex corpore, ea eſt modus operandi ſeparatus à materiâ. Sed intellectio ſuî nuda clara & intuitiua, ſeu (quod idem eſt, & quo ſenſu hęc verba vſurpaui in maiore probandâ) quâ ſe intellectus nudè, clarè & intuitiuè intelligat, non pendet, ex corpore; quod item oſtenditur.

Quæ intellectio non pendet ex corpore ſic tanquam vel ex ſubiecto in quo organum habeat, vel ex obiecto ſeu potius obijciente & repræſentante obiectum, vel ex ſocio & comite ſine quo non poſſit vti ſcilicet commodatâ ab

ipſo ſpecie, vel denique alio nomine vllo, ea non pendet ex corpore abſolutè; quid enim affixum ſit alteri quod omni ratióne liberum ſit & ſolutum ab eo?

Sed intellectio quâ ſe intellectus (humanum intelligimus ſemper, de alijs enim quid poteſt eſſe dubij?) nudè, clarè & intuitiuè intelligat, neque de tribus allatis, neque alio nomine vllo pendet ex corpore: quod pariter oſtenditur, de tribus quidem allatis in præſentiâ; de alio quocunque tunc oſtendetur cùm aliud vllus attulerit, quid enim nondum nata humani ingenij figmenta perſequéndo tempus tererem? Ergo de primo quidem.

Quæ intellectio organum nullum habet in corpore, ea non pendet ex corpore, ſic tanquam ex ſubiecto in quo organum habeat.

Sed illa ſuî intellectio nuda cla-

ra & intuitiua non habet organum in corpore; quod oſtenditur.

Ea intellectio non habet organum in corpore, cui nullum reperitur in eo quis enim quod non videt in ſuam perniciem diuinare velit? Sed illi nudæ & claræ ſuî, aut omninò intellectioni ipſi nullum reperitur in corpore organum. Quod enim? Integra moles corporis? At extremis digitis quantùm ipſo capite hominem ad philoſophandum niti, aut minùs ſanę mentis eſſe, cui ſint manus amputatæ, vel crura fracta, quis ferat? Pars ſingillatim aliqua intùs in capite? At nulla eſt, quin ſit eadem in belluis. Nam vt quis ſe ipſis peruicaciter & fatuè nihilo ſuperiorem eſſe diſputet; ne tamen vel ſic elabatur. Vide huius tertiæ partis c. 7. & 8. Iam de ſecundo ac tertio aut capite aut nomine dependentiæ ſimul oſtenditur minor

hæc eadem, cum adhuc intactâ minore ſecundi, totáque res vnâ & eâdem operâ cóficitur; quæ quidem duplex oſtenſio propterea redigitur in vnam, quia ſi quid poteſt eſſe cauſæ præter rationem organi iam confutàtam, cur animo hominis, contra minorem ſecundi, intellectio ſuî clara, nuda, & intuitiua conuenire nequeat, hęc ſcilicet quòd ipſe ſibi non ſit ad intelligendum propoſitus, niſi eo modo qui elucet vel in phantaſmate, & pertinet ad ſecundum dependentię nomen iam dictum, vel in ſpecie ab eo extractâ, & pertinet ad tertium. Ergo vt ſimul vtraque de cętero minor appareat in vnius lumine collocata.

Si quid eſſet cur ſe nudè & apertè videre non poſſet hominis animus, aut cur tandem intelligendo ſe penderet ex corpore vt ex obiecto aut comite; de duobus vnum

esset; quòd se tantum vel in phantasmate, vel in specie phantastica siue phantasmate prognata contemplari posset.

Sed neutrum est. Ergo nihil est.

Non secundum; Species enim phantastica quidquid animo hominis conferre potest ad se contemplandum, aut similitudinis, aut effectionis, aut fœcunditatis, aut præsentiæ, aut participationis obiecti, totum id ex se animus ipse tanquam ex fonte plenissimo longè abundantius exhaurit, vt habes hîc c. 13.14.15. &

Non primum. Inuolucrum enim illud & integumentum per quod præsens sibi in phantasmate videret seipsum animus nec posset aliter, adsciscì huc deberet ad substantiam ipsius illustrandam, an magis corroborandos oculos? hoc est, quòd tenebricosiori de se animo quàm vt posset à se intelligi,

Digitized by Goo

velum illud ſplendorem adderet neceſſarium, vel è contrario ſuos ipſi radios micantiores quàm pro imbecillitate viſûs nonnihil temperaret; ſic vt animus nudatus ſuis ſe tenebris aut luce nimiâ à videndo arceret. Illud, opinor, nemo audebit dicere ne ridiculus ſit qui in latebris conſpectum quærat. Iſtud qui arripuerit, neſcio an etiá ſtultior dicendus ſit, qui ſe arbitretur excellentiorẽ à naturâ non corporis, ſed animi pulchritudinem accepiſſe, quàm vt mente complecti poſſit, ipſam autem animi vim ac robur cum fragilitate corporis, in diſſolutione confundat; quaſi verò naturę intelligenti ignoratione ſuî acerbius quidquá eſſe potuerit; aut ſuæ ipſius intelligentię limites propriâ intelligibilitate ſuâ quidquam ſit vel eſſe poſſit vſpiam de intelligentibus, quod ſinatur tranſgredi; præſer-

tim cùm ſit vna non impar vtriuſque ex eodem fonte, velut aquæ deductio. Verũ quoniam eò delapſi ſumus, ex poſtremis probationis huius verbis, minorem ſecundi argumẽti propoſitionem ſeorſim ſic probatam habe. Intellectus humanus ſi non poſſet ſe intelligere in ſe, defectus in eo eſſet intelligibilitatis, aut exceſſus; quòd intelligibilis non eſſet in ſe abſolutè, aut ſupra ſuum ipſius captum eſſet. Illud dici nequit, quippe cùm nullo ſuo gradu, aut conditione, & modo pars vlla entis fugiat omnem omninò intellectum. Iſtud ſi dixeris, quid ad hoc dices, quod ſequitur? ſi intellectûs humani propria in ſe intelligibilitas non eſt ſuâ rurſum intelligendi vi maior, non eſt ipſe in ſe intelligibilis ſupra ſuum ipſius captum: verum antecedens, ergo & conſequens. De antecedente

quod

Digitized by Google

quod negabis, hoc vrgeo. Si intellectus humanus indidem eademque mensurâ hauritac petit intelligibilitatẽ suam omnẽ ac intellectiuitatẽ; adeò vt sit vtriusq; in eo fons idẽ, deriuationis modus idẽ haud dubiè propria ipsius in se intelligibilitas suâ rursum intelligendi vi nequit esse maior. Sed immaterialitas, aut potiùs secessio qualiscunque à materiâ fons est in eo vtriusque idem, deriuationis modus idem, vt c. xi. proximæ partis dixi inchoatè, pleniſſimè autem dicturus sum, cum Deo, post pauca. Verum ergo antecedens, cúmque intellectus humanus non sit in se intelligibilior, quàm intelligẽtior, nil obstat quin se in se videat; quæ est minor illa secundi argmenti victrix propositio. Hæc ergo sit structura iam altera, quæ si cui fusior videbitur, meminerit pro Indice esse, quem

potuiſſet alius huic libro longiorẽ annectere. Porrò autem, vide ſis, ad minoris 2. ſyllog. probationem rurſum ſeparatam ab eâ quæ eſt minoris 5. cap. 5. & 6. in antecedentibus. De re totâ Deum ſéque ipſum conſulat aduerſarius & accipiam iudicium in ea ipſa verba, quæ ipſe ediderit.

PARS QVARTA.

Reſponſio ad Obiecta.

ETſi hanc diſputationis partem poſſem refugere, eáque legitimè deprecatione vti, quâ paſſim aſſentiũtur omnes Ariſtoteli, vt iá, ni fallor, antè dixi alicubi, ſeruandam vtique in veritate ſemel exploratâ conſtantiam, etiá tunc cùm inenodabiles ei difficultates contrarius error affert. Tamẽ quia faciendum eſt vel ijs hominibus ſatis, qui niſi quod viderint

ɔſi omni luce clariùs, nihil quid-
ɹuam æqui boni faciunt, diſcu-
ıamus captiones eorum omnes,
ıe qua ſit nubecula ſub quâ ſolem
ɹueranturferre ſe non poſſe. At-
que hoc ſanè in campo locus erit,
vt ſpero, in quo vberior aliquan-
to rerum obſcurarum explanatio,
velut ex ſemente ab hoſtibus factâ
illius generis fructum nobis me-
tendum præbeat, cui ſapientum
de faciẽdo ex inimicitijs lucro, pre-
cepta ſuffragantur. Quare nec ſtu-
dioſum veritatis lectorem vere-
bor hîc enixè rogare, vt ne graue-
tur quod reliquum eſt huius ope-
ris pro ſuâ parte exequi, ſibíque
perſuadeat ad calcem quem iam
videt cùm peruenerit, neſcio quid
inuenturum in eo, quod ſi ſciuiſſet
ibi recóditũ, iam inde à carceribus
affectâſſet. De cętero cùm hic ſit
fururus nominatim ſtatus & quaſi
conflictio cum aduerſario; ne ar-

dor pugnæ tranquillitatem illam ordinis perturbet, quam ad hoc genus maximè belli non flagitiosissimi imò sapientiæ plenum, æquum est ex pace transferre: reliquum sermonem lubet ita distribuere, vt quoniam conclusio nostra hæc *Animus hominis potest vi suâ stare adeóque est immortalis*, ex his maximè principijs duobus deducitur. 1. *Si potest operari extra corpus seque saltem intelligere, potest quoque extra illud subsistere* 2. *Sed potest operari extra corpus, seque saltem intelligere*: particula huius partis prima diluat quæ contra primum principium dici possunt, secunda quæ contra secundum, ac tertia tandem quæ contra conclusionem ipsam vniuersim.

PARTICVLA PRIMA.

QVia aduerſus primum iſtud principium de modo operandi modum eſſendi ſubſequente & viciſſim præeunte, admodum nihil eſt quod adferri poſſit niſi fortè dicis cauſâ, propterea non erunt huius particulæ capita plura. Tantum dicenti primò quę ſit tanta eius vis & neceſſitas.

Reſpondeo præter eam quæ commemorata eſt cap. 3. & 4. 3. partis, hanc eſſe inſuper, quòd natura ad res omnes ſuam, quoad licuit, beatitudinem, hoc eſt, ſuum bonum & finem attexuerit; bonum autem beatitudo ac finis ſit vnicuique ſua operatio, vt de contemplatione ſummâ pronunciauit in homine Philoſophus ad Nicomachum; quo fit vt, ne diuellantur quæ natura volebat eſſe coniunctiſſima, neceſſe ſit operationi

nullum concedi aut ordinem, aut tempus, aut ſtatum, quin eadem quoque omnia in rem ipſam cadant & ſimul inuicem. Nam vt illud adijciam; ſi tunc anima noſtra corpus noſtrum deſerit & non antè, quàm cœperit in eo nihil poſſe proprium ipſius pręſtare defectu diſpoſitionum; profectò tunc tantum oportebit ſe ipſa deſerat pereundo, cum ex ſe nihil poterit efficere ſibi proprium. Ergo illud tempus ſi nunquam inciderit, eritque ſemper etiam à diſſolutione corporis ad officij ſui, hoc eſt, intelligendi munus inſtructa, nulla certè neceſſitas, vt occumbat & à ſe deficiat, flagitabit vnquam; quę eſt axiomatis illius de modo operandi, in rem noſtram vis ſumma & perſpicua.

Dicenti ſecundo; in ijs quæ agũt in diſtans non valere axioma, ſiquidẽ ibi actio, vnde abeſt ſuppoſitũ, ne-

que ſe mutuò conſequuntur, quæ locorum diſſident interuallis.

Reſp. actionem illam aut aliam quamcunque dicere poſſis ſemotam ab agente, id habere nominis quatenus in ſemoto ſubiecto recipitur; eatenus autem non iam actionis ſed paſſionis eiúſque propinquæ vocabulo ceuſendam eſſe quòd ſi ſpectetur in egreſſu ſuo, quâ quidem ratione proprium induit actionis vultum, iam non ſeparata ſed coniunctiſſima eſt ſuo ſuppoſito; inde enim egreditur, vbi cum illo erat in ſinu eius & cóplexu latitans.

Dicenti tertiò quòdnon foret inutilis animæ facultas videndi ſe clarè, etſi nunquam eam exerceret, quæ ſcilicet ad alia bene multa valeret vna & eadem. Reſponſio in promptu eſt duplex. Prima, quòd vt inutilitatis præſtaretincommodum obiectio, non

tamen principium euerteret de modo operandi ſequente modum eſſendi, alijs iam pluribus fundamétis defixum. Secunda, quòd ne otij quidem & inutilitatis culpam naturæ præſtet, ſi animæ ad videndum ſe facultatem det, tempus neget aut vſum; quia otioſum eſt in naturâ quod ab opere ſuo ac præcipuo vacat, quantumuis minoribus alijs ſit intentum. Eſt autem in animâ viſio ſuî clara tam ardua ac præſtans, vt ſi quæ ſit ipſi conceſſa virtus eius operatrix, inertiſſimum foret ac deſidioſiſſimum eius ab eâ prorſus vacantis, ac minutioribus alijs operibus occupatæ otium.

Dicenti quartò ac vltimò, neque enim nunc certè plura ſuccurrunt inquirenti. Conſequens fore huic principio, vt ne poſſit mens humana Deum in ſe contemplari omninò, aut certè id poſſit natura-

Digitized by Google

iter: aut enim contemplationem
lam esse eiusdem cum naturâ or-
inis, aut superioris. Si eiusdem,
uidni ad eam aspiret suis innixa
iribus natura? si superioris, iam
ɔsi desperanda est, cùm nulla
ius actio possit ipsius ordinem
eserere aut altiùs niti. Respon-
eo neutrum esse consequens,
uia quòd modus operandi & mo-
us essendi, ita se inuicem sequi
icuntur vt neuter possit esse infrà
lium: intelligendum illud est se-
undum naturæ leges, quarum
uidem potestatem sibi liberam
ùm ipse condidit, reseruârit autor
aturæ Deus. De contemplatione
aque illâ superioris vtique ordi-
is sperandâ nobis omnia, sed à
)eo. Neque porrò hîc tacebo,
uod suggerit ipsa aduersarij peti-
o: hinc sequi, quòd animus qui-
em noster sit sponte naturæ im-
ıortalis, mori tamen possit acci-

beat aut potiùs perire funditùs, ſi quando id iubeat Deus, qui naturam vt ſuprà ſe ipſam habet euehendi poteſtatem, ſic etiam & infra ſe deprimendi. Verùm hæc, inquis, reſponſio in eo deficit, qui Deum nec fateri velit nec agnoſcere. Rectè. Sed neque is viciſſim, opinor, illud obijciat, quod abſtergebat ipſa.

PARTICVLA SECVNDA.

DE tribus quæ toto mihi opere conſtituenda maximè fuerunt, vt antè dixi; primum iam decurſum in ore omnium; tertium mox perficiendum, in ſapientum inſedit animo; alterum quod exædificare aggredimur plus habet reliquis meæ aut inuentionis & excogitationis, aut accommodationis ad præſentem ſermonem; quare hoc maiore curâ tuendum mihi eſt ab aduerſariorum petitionibus

tum apertis tum occultis, quo priuatum hominem æquius est vt velint ac sperent vincere, quàm societatem humanam aut integram, aut extra quam separati sint stulti.

Objicitur primò quòd mentis humanæ obiectum nequeat esse euolutum ab omni sensuum commercio.

Caput I.

Sic est omnino, aiunt ex aduersarijs aliqui, si planè non omnes; si posset anima seipsam in se videre, haberet in egressu suo quo vitam deinceps perpetuam nec otiosam degeret. Sed vnde illud posset? Primò enim triplex videtur esse intelligentium ordo ita cõstituendus; vt Deus sibi soli, Angelus sibi & alijs, homo alijs tantùm directè intelligendis vacet; indirecte autem tum Deus in se alia contempletur omnia, tum

homo ſe in alijs. Reſpondeo totam hanc conſtitutionem ordinis propterea ruere, quia gratis conſtat aduerſarijs. Nunquid enim æquius eſſet ita decernere, vt diüina Deus; Angelus angelica; homo humana haberet in primis contemplanda, tum ex his alia ſinguli, Deus quidem omnia actu neceſſario, reliqui verò poteſtate, cũ ſe daret occaſio, exercẽdâ: ſic enim tum debitus vnicuique honos tribui poſſet, quod ſanè faciendum eſt: tum omni intellectui tota entis latitudo ad conſiderandum exponi, de quâ qui vel minimam vlli patrem reſciderit, non video quî ſtet apud illũ philoſophorum effatum *Quòd ens, & verum conuertantur inter ſe, verum autem ſit obiectum intellectûs*; adeo vt nimirum quemadmodum nulla eſt ratio entis, quin ea veritatem cõtineat; ſic neque pars ſit veritatis vlla,

quin ea ad intellectum omnem ſpectet abſolutè, licet vna priùs alia: quo pacto etſi Deus ſe ſuáque in primis, tum in ſe ſuíſque dicatur creaturas intelligere, haud quaquam id ita interpretari debemus, quaſi ipſas in ſe ipſis non intelligat, inque earum veluti viſceribus ne poſteriores quidem figat obtutus; quemadmodum neque Angelo aut homini ita eſt hebetanda intelligentiæ acies, vt cùm angelica aut humana viderint, in diuinis non plus lucis aſpicere omninò poſſint, quã ex ſe ſuíſue hauſerint. Crediderim potius ita ſe habere ſubſtantiã intelligentem, vt quæcunque eſt vſpiam intelligibilitas rei vllius, ſeu propria ea ſit, ſeu aliena, hoc eſt, quâ res in ſe videri poſſint aut in alio, modò ne quid imperfecti admixtum habeat, ea tadat in intellectum quidem diuinum reapſe neceſſariò, quia per-

fectio eſt ſimpliciter ſimplex; in Angelicum autem & humanum, quacunque tandem virtute, cadere ſaltem poſſit, quia neutrius extra caneellos prorſus egreditur. Non ſic autem dicetur Deus creaturas videre in creaturis, præterquam quòd in ſeipſo, quaſi ipſæ aut ipſarum ſpecies creata intellectum diuinum impellat & informet; ſed quod abundantiâ luminis ſui intellectualis eas ſibi tam præſentes, tam patentes ac perſpicuas faciat, imò plus pluſque infirnities, quàm intellectui creato cuiuſcunque ſpeciei beneficio ipſę ſe clarè videndas offerant. Atqui, aiunt, cùm animus hominis naturâ aptus ſit & factus ad ſocietatem vitæ cum corpore ineundam, quâtò ſatius fuit, nullam ei virtutem ingigni, quâ poſſet in ſeſe ſeiunctim ab eo ferri cognoſcendo? Opinor, ne ſpeciei ſuæ captus ille-

cebris, ſocium fortè importunum ocyùs res ſuas iuberet habere. Enimuero ſocietatis illius vincula nec ipſa natura volebat eſſe æterna, vt ſanè oſtendimus; nec vt vellet abrumpendi periculum erat dum ſe animus agnoſceret, niſi ſi fortè cui probè cognita ſint libertatis ſuæ iura & emolumenta, poteſt confeſtim captiuus redimere ſe à ſeruitute. Sed vrgent primò: ſi quod antè dictum eſt, ita ſe mutuò conſequuntur intellectus & res, vt omnis intellectus rem omnem poſſit peruadere, & quamuis non tam apertè tam perfectè videat obiectum vnus quàm alius, nihil tamen ſit in re vllâ, quin euolutum & nudatum integumento omni poſſit in oculis cuiuſuis perſonæ intelligẽtis poni; quid reſtat niſi vt Angelus niſi vt homo ſibi relictus id poſſit viribus naturæ, quod gloriabatur ille.

Ipſe Deum manifeſto in lumine vidi

Deinde ſi ſe mẽs noſtra ita ſuis qua ſi ferebat in oculis, quid opus fuit hoc carcere, in quo duo haberem⁹ lumina ab ipſâ ad oculos perforata? ſanè, ad ſenſus capiẽdos & perfruẽdos eáque in ipſâ effingenda, quæ cũ illorũ vis tradidiſſet atque impreſſiſſet, ſeparatæ poſtmodũ ac ſeiunctæ à materiâ, vt natura ſolitarium nihil amat, ornamento eſſent ac præſidio, ac parte noſtrî optimâ in omni æternitate ſpectaremus otiosè, quæ non longo temporis interuallo potuiſſemus condiſcere. quanquam ſi neque iſtud ſine controuerſiâ eſt & dandum eſt vltrò, vix vllum ſupereſſe in animâ ſoliuagâ amœnitatis illius veſtigium, quæ non rarò videbatur olim in corpore, commorationis non diuerſorij; ne illo quidem caſu nobis excident gladij, aut fluent arma de manibus;

dicemus

dicemus enim congruentiſſimum fuiſſe, vt quæ ſubſtantia intelligendi vim ac ſentiendi poſſideret eximiam, quæque ad intellectionem ſaltem ſuî claram & apertam infinitum quoddam æternitatis tempus deſponſum haberet à naturâ ac paratum, ea ſibi de eo dies aliquot demeret ac ſeponeret ad ſenſus audiendos attentiùs, quos olim Epicurus veri nuncios eſſe dixit. Nam de cætero primum illud etſi paulò iam antè diſſolutum, quod verentur ne ſi ſe, Deum quoque eadem in luce Angelus videat aut homo, cautum eſt ac prouiſum in contrariam partem, eámque haud dubiè tutiorem, quàm par eſſet plurimis. Habet hoc quidem intellectus omnis ac quilibet, vt ad omnem quancunque velis, cuiuſlibet rei veritatem inueſtigandam naturâ factus ſit, vt ad colorem oculus, ad ſonum

auris; vt autem consequatur, aut etiam possit simpliciter consequi, vnus habet ex se infinitus ac diuinus, reliqui partim ex se, partim ex alio extrinsecùs. Neque id magis mirum est quàm quòd in allato exemplo, de propositis sibi ad sentiendum obiectis pleræque potentiæ, nisi naturam ars iuuerit, plurima cogantur insalutata præterire & incognita. Itaque licèt angelus aut homo in intellectu suo sicut omnis veri, item & diuini, imò vt in se est videndi (illud enim vt in alio quantopere diuersum est à se vt in se? velut minutissimum semen habeat, quæ est naturæ nostræ laus summa; tamen quod est voluntatis diuinitus adiutæ & ad bonum incitatæ arbitrium, vt illud ex se tandem aliquid gignat ac procreet, cœlestis velut agricolæ manum opulentam expectet necesse est. Ergóne, rursum ais.

quam vim in tota ſpecie aliquâ architectata eſt natura, eam in nullo eius indiuiduo videas perfectam ab ipſâ? Profectò, cùm vis illa alios in vſus eóſque ipſi per ſe procurandos eſt comparata; tunc enim non erit vtique illa inutilis quæ ſe ſponte ſuâ in eos fines explicabit, quos ipſa ſibi per ſe obtinendos natura propoſuerit; id quod in re noſtrâ certum eſt euenire; eſt enim in eâ acies iudicij eadem quâ ſiue Angelus ſiue homo valet ſe ex ſe in res creatas inſinuare, in diuinas tantùm ex alio, hoc eſt, Deo. Quanquam quid hîc naturam de inutilitate purgo quod ei crimen ne aduerſarius quidem obijcit.

Vſpiam opus eius certum aliquod pefectum fore queritur; quaſi verò aut perfectum dici non debeat, vt in humanis ſaltem & creatis, niſi quod ne di-

uinitùs quidem posſit exornari; aut neceſſe fuerit à Deo rebus creandis eam induſtriam adhiberi, ad quam ne ipſe quidem quidquá poſſet addere. Audi porro philoſophantem naturaliter oratorem. *Nihil*, inquit Cicero, *ſimplici in genere, omni ex parte perfectum naturá expoliuit*; quippe cùm omnibus extrema à Deo manus poſſit accedere. Quid vetat igitur quominùs intelligendi prorſus omnia facultatem in nobis natura inchoârit, quam ſolus autor naturæ Deus in certo quodam genere poſſit abſoluere? Imò quis Deum agnoſcit omnino, quin ei ſimiliter in pleriſque alijs augendarum naturæ virium poteſtatem vendicet?

Obijcitur ſecundò. Quid ergo ſit cur anima non poſſit videre ſe in corpore, ſi poteſt extra illud.

CAPVT. II.

AT enim, inquit aduerſarius, aut viſione ſuî clarâ fruitur anima dum eſt in corpore, aut eâ caret; ſi fruitur, cur cum intermiſſione vel in ſomno? ſi caret, vnde ſeparatæ aduenit, aut quid habet ad eam ex ſolitudine adiumenti? Reſpondere poſſet aliquis ita vt de fruitione concederet, ac deinde tueretur intermiſſionis nullum eſſe incommodum; neque porrò conſequens eſſe magis vt ſe iugiter anima contempletur, cùm ſe ſemel apertâ in luce viderit; quàm vt habitus ſuos ac potentias & actus, aut ſpecies cùm ſemel apprehenderit, nunquam inde oculos deijciat; ſiqui-

dem par vtrobique præsentiæ perpetuitas: & si nihil est necesse, vt docet experientia, totum istud velut instrumentum & pulcherrimam vitæ suæ supellectilem, sine cessatione ab animâ dispici cuius tamen semper quasi versetur ob oculos; neque profectò quidquã erit dissonum, si se sibi præsentissima, tamen aliquando lateat. Nam si vrgeas de visione quæri, quâ se in se videat anima sine specie apposità; hanc qui concesserit animę extrà positę, nihil esse cur eam vel perpetuam neget informanti, cùm iam semper habitura sit omnia ad eam requisita, seu vigilet corpus seu dormiat; huiusmodi autem nihil cerni in explicatâ eiusdem animę supellectili, à quâ ideo possit aliquando cogitationẽ aliò transferre, quia quamuis præsens semper adsit, non tamen semper expeditus specierum eius è sensu

manantium vſus: quanquam eſſet quod quis rurſum contenderet non pauca ex his ipſi per ſe animę ſpectabilia eſſe item ac ipſam: illud tamen ſi videtur alicuius fortè ponderis reſponſionem accipe mox dandam. Nunc moneo ex occaſione non defuturos fortè qui primâ illâ vti velint cum autoribus grauiſſimis; cum Auguſtino in primis, cuius eſt cap. 10. lib. item 10. de Trinitate aperta ſententia, quòd anima ſe per ſe ſine ſpecie, etiam in corpore intelligat, dum eam ait, ſi naturam haberet ignis aut aëris, aut conſimilium, cogitaturam ignem, aërem, aut conſimilia aliter quàm cætera; non ſcilicet per imaginale figmẽtum (verba ſunt ipſius) ſicut cogitantur abſentia, quæ ſenſu corporis tacta ſunt, ſiue omninò ipſa, ſiue eiuſdem generis aliqua; ſed quadam interiore non ſimulatâ,

ſed verâ preſentiâ, non enim quidquam ibi eſt ſeipſâ præſentius. Hactenus Auguſtinus: cuius quidem ex verbis viſus eſt ſibi olim, quàm bene non diſputo, Mirandulanus poſitionem illam elicere; quòd anima nihil actu & diſtinctè intelligat niſi ſeipſam; intellectione ſcilicet abditâ, vt interpretatur ipſe in Apologia, quæque ſit ſine phantaſmate, & adminiculo ſenſûs; ac eâ non omni ſed directâ & permanenti; quam exceptionem vltimam non incongruè appoſitam opinor; certum enim habeo, quòd ſi quæ eſt in animâ adhuc informāte, ſuî ipſius notio huiuſmodi clara & à corpore abſtracta; quàm ipſa ſibi per eam præſens eſt & nota in primis, nec fieri poteſt vt lateat, tam neceſſe ſit indidem in Deum cognoſcendum ferri; ſi modò non etiam difficilius eſt homini, de

Deo quàm de se dubitare an reuera sit, vt rectè aiebat idem qui suprà Augustinus in confessionibus. Sed hæc obiter. Nunc vt hac dimissâ, responsione vtar alterâ, eáque nonnullorum iudicio firmiore. Non continuò, si clara suî visio sine impressione speciei debetur animę simpliciter; aut deberi quoque in vinculis dicenda est, aut egredienti velut è in carcere aliud est in hunc finem & maius quàm liberationis beneficium aduocandum. Nonne si modus operandi sequitur modum essendi æquum est vt in corpore nulla sit intellectio ab actione corporis seiugata, neque proinde clarâ suî visione fruatur anima hoc interim spatio: extra corpus contrà sui iuris effecta suum se ad munus illud ac pensum reuocet, nec alterius iam opem imploret. Interea, inquam, dũ corpus informat anima virtu-

tem illam habet quâ ſe, ſtatim à diſſolutione, præſentiſſimâ ſibi vehementer obſtupeſcet, & illam oris dignitatem in proprio iam ac bono lumine collocatam adamabit, quam in alieno antè requirebat; habet, inquâ, ſed eam afflictâ, vt ita dicam, & proſtratâ, fructuoſam alijs, inutilem ſibi; quam dum cogitur illo rerum ſtatu partim vegetando partim ſentiendo impendere, vix quidquam eſt ipſi ex eâ reliqui ad ea penitus intelligenda & comprehendenda ſagaciter, quæ attributi à naturâ tanquam ſatellites & nuntij ſenſus, peragrato orbe vniuerſo ei vltrò renunciârint; tantũ abeſt, vt ſibi vacare poſſit vni, ſuos in ſe oculos ab conſuetudine corporum auulſos figere. Quid facias? ſocietas ei eſt cum corpore ad modicum quidẽ tempus, rerum tamen omnium, non facta voluntariè ſed imperata

diuinitùs dicam, an humanitùs? quàm ne ſenſim impúnè dirimeret, aut potiùs, id enim iam viſus ſum auerſari doleret initam & ſibi quàm toti conſultum mallet, ita fabricata eſt natura, vt viribus quidem ſuis non ſpolietur anima à conſorte, ſed eas interim cum eo cõmuniter poſſidere & in vtriuſque commodum conferre teneatur integras; tanquam intereſſet cœli, ac mundi huius ornatiſſimi, aut potiùs conditoris eius, manifeſtæ pulchritudinis ſuæ ſpeculatores conſtitutos oculos hominũ, ab animâ aliud intùs agente, ſeſéque nimis amanter inſpiciente haud vnquam deſtitui ac deſeri. Neque porrò mirum videbitur vlli aut inuſitatũ quod dico; ſi meminerit in primis eã eſſe animæ indolem, vt quantũcúque diuerſis à ſuâ ſubſtãtia ad agẽdum facultatibus inſtructa ſit, ſemper tamen

eâ vtatur in agendo ; alioquin enim niſi vna eſſet diſtinctorum munerum functionibus intenta, quorſũ, vt experimur quotidie, ſic redderetur ad ſingulas quaſque minùs idonea, quò ſe vnam ſcilicet in plures ſimul fundit? Tum ſi non obliuiſcetur deinde quãto facilius ſit animę ſuîmet ipſius meminiſſe, ſuâ ſe cogitatione penetrare, vt eam ab rebus alienis & circumiacentibus ad proprias & domeſticas & intimas plus plúſque reuocare cœperit. Si non exciderit denique ex animo ſuauitatis illius ac honeſtæ voluptatis, quam ipſe ſibi affert dum attendit diligentiùs ſéque ipſum exaudit: quæ quidem tria quiſquis propiùs inſpiciet, intelliget profectò ex primo & ſecundo facilè fieri, vt quam vnam eandémque ſeu vim agendi, ſeu ſubſtantiam habet anima, per tam multas huius vitæ

actiones ſparſam ac diſſipatam, hanc nequeat ad ſeſe ante diſſolutionem reuocare, quantum ſatis eſſet ad præcellentem illam ſuî intelligentiam ; tunc autem queat cum diſſoluitur cuius ſanè temporis quia longè maius eſt ab hoc diſcrimen, quàm occupati interdum à vacuo : profectò ſi dum vacat, tam multa videt in ſe animus noſter quæ latent occupatum; quidni ſeipſum nudè & clarè videre poſt mortem poterit ſolutus ac liber, quem tantùm in tenebris & quaſi per caliginem, hoc eſt circumdatum, vt erat, corpore fas fuerit olim intueri ? Eſt aliqua ſanè vigiliarum nunc & ſomni diſcrepantia, in ſuâ quaſi libertate vendicandâ animæ, aut eripiendâ; maior tamen haud dubiè quæ ipſius eſt vitæ ac mortis; quòd ſi ab illâ proficiſci videmus diuerſitatem in ſe cognoſcendo tantam, quanta

eſt in eo qui vigilat ſeſéque fert in oculis quocúmque eos confert, & eo quem tam arctus ſomnus complexus eſt, vt cùm euigilârit vix ſine monitore ſit crediturus ſe toto illo tempore in viuis fuiſſe; cur non pariter ab hâc redundare poterit hinc claræ hinc obſcuræ ſuî viſionis in animam differentia? Tantúmne virium in mortis imagine ſomno, vt ligatam mentem teneat & nutriendo corpori non ſecùs addicat ac ſi ſuî compos non eſſet: nec tantùm in morte, vt ſolutam emittat è vinculis, ſibíque ſic omninò reſtituat, quaſi cum ſenſibus nihil vnquam habuiſſet coniuncti. Plus etiam, inquis, aliquid. Sic omnino cum eâ in morte agitur, vt non modò à corpore ſed & ab ipſâ ſe liberata antiquum remigret in nihilum. Ac ſi iocaris quidem, tolerabile eſt dum ne diu nimis; ſi ſeriò loqueris at-

que ex animo; tam acutè ariolus es, quàm qui mente captum eum esse diceret, quem videret inter somniandum nihil differre à bestiarum ritu. Sustinete porrò vterque; ille, dum somnus excussus sit, tu verò, dum rationem consulueris; & expectationis pretium ac fructus, illi quidem erit, vt intelligat, non pessundante somno compotem rationis animam perijsse funditus, sed obuolutam & obligatam sub carnis onere iacuisse: tibi autem, vt animaduertas eam tuî partem, cuius in his etiam impedimentis corporis ac molestijs, tam illustribus aliquando notis se virtus emergit, longè excellentius aliquid editurá, vt semel in apertá lucem ac libertatem eruperit; hoc est, cum suî iuris facta euolutam se intuebitur ac nudatam, qualem antè nec cernere poterat, ne modus operandi modum essendi de-

sereret; nec sanè conducebat, ne qui ex tertiâ obseruatione superiori timor iustus esse poterat, si se, quàm pulcher est & amabilis, videret in corpore animus hominis, eâ contentione in se incumberet vnum, ex quâ de commodis corporis & vtilitatibus necessarijs plus nimio cõfestim deperderet. Sed hoc ipsum vereor vt intra breuitatis modum dixerim.

Iterum de modo quo se, si fortè, latet ipsam secundùm se anima dum est in corpore.

Caput III.

PRoperabam aliò, vt vides, lector, cùm ecce tibi nonnemo de scholâ D. Thomæ monitor nõ fatuus; vellem inquit, responsionem hanc vltimam, quòd suos hîc fugiat oculos anima secundũ se, non fugitura illic, pleniùs adhuc

huc, si fas, & vberiùs ac validiùs affirmari, quam intelligo à S. Doctore tam apertè expressam. 1. p. q. 89. a. 2. in corpore, cùm de coniunctâ negat, de separatâ affirmat fore *vt seipsam per seipsam intelligat.* Ergo vt illud semel ad viuum resecem, & dicam planiùs quid sit cur anima humana corpori coniuncta oculos velut humî defixos & ad hæc inferiora ex ipsa coniunctione illâ deiectos habeat, quos tamé possit à morte velut in altum tollere sibíque summâ libertate adijcere, vt fermè loquitur idem Angelicus doctor q. vnicâ de animâ. a. 17. si cui fortè magis placebit responsio discipuli quàm magistri, hoc est, Augustini suprà, immò & Aristotelis infrà, cùm sit perbona vtraque. Animaduerto duo inesse quæ videri possint difficilia in obiectione cuius causâ huc defluxit oratio. Vnum, quomodo

tam diu ſua ſibi quaſi nuda & aperta facies animæ non videatur vno ictu dignanda oculi, quem de reliquo in poteſtate habeat. Alterum quî minùs videat continenter mens noſtra, quod ſemper ei ſit in præſentiâ & ante oculos poſitum, hoc eſt, ſeipſam. De primo itaque reſpondeo in primis non id fieri arroganter nimiùm ab animâ, ſed certè coactu atque efflagitatu. Cuius porrò niſi corporis? De efflagitatu iam dixi, quàm id ſit alendæ carnis prouiſioni congruũ, quod ſi dicendum eſt iterum. Veniat obſecro eorum in mentem qui literarum aut ſapientiæ ſtudia paulò auidiùs arripiunt. Hos ſi videas eâ voluptate compleri dum ex ſenſuum velut nuntiorum relatione obſcurâ neſcio quid melius eâ ac ſublimius inueſtigãt, vt ſuſtentando corpori vix par ſit animus; quid futurum fuiſſe putas ſi

ſe intellectus intellexiſſet ipſum, & illud potuiſſet aſſequi lumen ingenij quo lucent nobis prope vniuerſa in his tenebris. Non ſe tenuiſſet profectò quin, ſi fas, abruptis vinculis ſurſũ cõfeſtim euolaret ad Angelos, aut ſe de hac belluarũ regione languore confectũ aſſiduo citiùs exturbandum morbi ac fortunæ telis obijceret; quid enim? ſi nos aliquando tabula benè picta, fictoris alicuius ſignum elegans, aut cœlum ex omni parte patens atque apertum ſtelliſque velut gemmis diſtinctum ſtupidos tenet, quid, inquam, fieret ſi ſe iam nunc anima in bono lumine collacatã poſſet intueri, & varietatem illam cernere colorum verè viuentium, formarum ac notionũ, quibus depictus eſt & inciſus in ipſa orbis vniuerſus, longéque maiori cum venuſtate quàm in ſe ſpectandus elucet. Nonne id

ſi poſſet, protinus à conſuetudine oculorum & corporum, pluſculum etiam quàm concedit naturæ neceſſitas, abhorreret? Enimuero id quæritur, quâ tandem vi & oppreſſione cogatur ſuam illam videndi ſe clarè virtutem continere interea dum ſeruit corpori. Opinor, illâ ipſâ quâ corpus excitare & ſuis informare viribus. Profectò enim quam vim ineſſe volumus in vinculi illius amabiliſſimo nodo, quo inter ſe cohærere cernimus cœleſtem animam, & carnem terreſtrem, vt vnum ſint, & pars ea quæ intelligendo tantùm non æquatur cum Angelis, ne illius quidem naturæ conſortium reſpuat, quæ ſe cum beſtijs miſcet; hanc vim concedamus oportet vt vnú agant, vnum hoc interim ſpatio opus nauent ac quemadmodum ſubiecta vni formæ materia de alijs infinitis quarum eſt non in-

capax nihil eſt omninò ſolicita; ſic neque impoſita ipſi ad ſpeciẽ & ornatum forma, ſi quid poteſt ſublimius & non commune cum eâ, eò ſe diuerti ſinat. Neque verò magis eſt difficile caput alterum de cæcitate animę in ſe ſibi præſentiſſimâ: quam ſæpe enim id euenit, vt cũ omnia paratiſſima ſint animæ ad videndum aut ſentiendum, in res tamen alias intenta & infixa nihil quidquam appoſitorum videat aut ſentiat. Et ſanè quid nobis eſſe poteſt magis præſens aut intimis ſenſibus inſcriptum, quàm vt nos eſſe aut agere norimus? quod nos omnis actus noſter edocet; quid tamen eſt procliuius quàm vt de eo ne cogitemus quidem perſępe? Vbi tunc; vbi habemus mentis oculos, aut quid? niſi eos dicemus abſtractos aliò; neque enim eo in caſu ad neſcio cuius excitantis phantaſmatis ſomnolentiam fas

est recurrere, quo, inquam, casu ipsum illud quòd agimus quòd sumus, sine alio monitore deberemus aduertere, nisi diuertissemus aliò, aut si quidquid est in nobis virium, totum id iuberemur à naturâ hoc vertente tempore in omnes partes intendere. Desinamus ergo tandem mirari quid sit cur intellectus noster ad se sine phantasmate intelligendum non ineptus, iucundissimo illo aspectu ac præsentissimo se abstineat, si tamen id facit, dum lustrandis corporibus vacat. Nam vt illud etiam adijciam, & ostendam quàm multa nobis insint à naturâ quâ parte præstamus bestijs, quæ se non antè proferát quàm discesserimus ab illis: poterit autem id totum vsui esse & ad refellendum quod allatum est cap. præcedenti aduersus respondentes cum Augustino sibi esse per se cogniram etiam nunc ani-

mam. Non eſt haud dubiè ad amorem ſuî quàm cognitionem minus ab ortu propenſa mens noſtra; quòd ſi tam valde ex ſocietate corporis ab amore illo refrixit quàm experimur, quid miramur in eâ rerum ſuarum tantam ignorantiam, quantam neceſſe eſt ab terrenarum ſolicitudine nimiâ exoriri. Explicabo rem apertiùs. Nulla res eſt in vllo genere, quin quod habet eximium à naturâ & præſtans alijs in ſuæ quaſi ſupellectilis ac familiæ ſeu amplitudine, ſeu tenuitate; in eo excolendo & amando tota penè ſit: quo ſanè loco nihil opus eſt, opinor, percurſione omniũ id probare quod vnicuique vel hæc ratio vnica perſuadeat; cùm ſingulis rebus comparatum ſit à naturâ, tum vt in fine ſuo perſequendo tandiu pro ſuo modulo elaborent ſingulę, quandiu ſunt; tum vt quæ pars eſt in eis

optima, illius perfectio & absolutio sit ille tandem finis ad quem rationem omnem referant: hoc certè principio nituntur vniuersa, quod si dissoluatur, quid vspiam est certum & constitutum? Iam verò in homine ratio & intelligẽtia cùm principem locum obtineant, cúmque proinde summũ eius bonum hoc sit vt ratione & intelligentiâ vtátur, quis dubitat quin ita sit homo factus à naturâ, vt ad rationis & intelligentiæ opus exequendum plus amoris & propensionis ei inseuerit, quàm ad vllum aliud? quod ergo non se proferat ardor ille, quòd suî longè minùs quàm corporis videatur appetens & rapax animus, nonne id satis aperto indicio est, (volo enim hîc extra culpam ponat se Adamus) tum voluntatis nostræ item ac intellectus sponte suâ languere in corpore vires quæ plus

randem poſſint quàm edant, tum nobis morientibus reſeruatum eſſe ac ſemper fuiſſe tempus illud, in quo aliorum omnium more, ſuis iam facibus ad beatitudinis ſuæ poſſeſſionem inflammetur anima & incendatur Fas ſit ergo vel hinc intelligere facilè fieri poſſe, vt plus abſolutè poſſit intelligendo anima, quàm exercere ſinatur à corpore, quando id in voluntate cernere eſt, quæ eſt ipſi non minùs in intimis. Cæterùm ſi quis adhuc intermedium voluerit reſponſum vſurpare, difficile erit ei reſiſtere cùm dixerit notum ſibi eſſe ac demonſtratum hactenus, quòd anima humana ſit ſe in ſe videndi capax; num ſe reuerâ ſic videat in corpore; ſin autem, quid ita? nec illud ſcire, nec ad ſciendum aut reſpondendum vllâ lege teneri, quando ſcientiæ ſuæ appendices omnes nemini oportere

esse cognitas, vel inde satis liquet, quòd nemo sapiens de cœlo & terrâ propterea sibi putet addubitandum an sint, quia cœli & terrę non omnia nouit arcana.

Obijcitur tertiò. Quid illud sit de recessu à materia quod indicatum est suprà tanquam sit in eo intellectiuitatis & intelligibilitatis commune principium.

Caput IV.

HOc est, vt compendiosam verborum barbariē an inopiam ad eos explicemus, qui scholæ vsum fortè non magnum habent; quòd quanto plus immunitatis habet substantia aliqua à seruitute materiæ, & conditionum eius quasi iugo minùs est subiecta, tanto sit ipsa ad rerum omnium, sibi; ad intellectionem suî, alijs

quoque parandam meliùs comparata; vt intelligat, inquam, vtque intelligatur, inde plura habeat adiumenta, vnde minùs cum materiâ commercij. In quo quidé negotio duo mihi præſtanda ſummatim video; alterum de neceſſitate, alterum de conuenientiâ huius argumenti cum re noſtra. Ac ſanè primum illud cùm duas rurſum partes habeat: etſi altera iam nobis propè confecta eſt ſuprà cũ intellectûs & materiæ pugnantes eſſe rationes inter ſe, ſatis fusè oſtendimus cap. xiv. tertiæ partis, tamen quòd intelligendi vis hoc ſit in vnoquoque nobilior, quo magis à materiâ ſecedit vnumquodque, apertiùs adhuc declarat autoritas cum experientia & ratione coniuncta. Inde enim eſt quòd Philoſophus libro de plantis, cur nulla ſit in eis cognitio & intelligentia eò cauſam refert quòd totæ

ſint in materiam immerſæ : Inde quòd 2. de animâ. Oportet, inquit, vniuerſaliter de omni ſenſu accipere, quòd ſit ſuſceptiuus formarum ſine materiâ. Et proponit in exemplum ceram, in quâ vt cùm idem centies ſigillum annulo impreſſeris, non tamen veſtigium vllum extabit, aureus fuerit an æreus; ſic neque odore percepto, aut ſapore & ſono, qui poteſt eſſe in diuerſis corporibus idem, iudicium eſt narium, aut linguæ, & aurium, quæ fuerit his qualitatibus ſubſtrata materia; auulſam enim & ſeparatam ab eâ obiecti ſui ſpeciem ſenſus vtique accepit. Hæc Ariſtoteles; in cuius ſententiâ ſi ſenſuum cognitio longè quàm intellectûs impetfectior, ſeceſſionem petit à materiâ aliquam, facilis eſt de perfectiore coniectura. Experientiam ſuprà attigi, nunc autem ſi lubet etiam

raptim. Nonne quotidie ita fit, vt quo quis à ſenſibus ac proinde à materiâ in quibus ſedem habent, longiùs mentem meditando abſtraxerit, hoc de re propoſita plura intelligat & clariora? adeo vt nullâ ſis vnquam intelligentiâ meliore, quàm cùm in ſuſceptam cogitationem intentus, ad ea quæ foris ſunt, quæque patent ad oculos, ad aures, & ſenſus alios, nihil habeas virium. Verum id vt aliò referas, neque me pugnacem experiaris in eo, quod aperta ratio mox ab inuito extorquebit; tantũ hoc dico; vt perſpicaciſſimis oculis nullâ re facilius ſolem videmus eripi, aut reddi quàm vaporum terræ vel interiectu, vel expulſione, ſic neque intelligendi aciem magis aut obtundi, quàm cum ad terreas velut materiæ fæces adhæreſcit; aut acui, cùm ex eis emergit. Ratione porro huius rei hanc

inuenio altam in paucis & conſtantem ; quòd cùm intelligendi vis idcirco conceſſa ſit quibus eſt à natura ingenita, quemadmodum alibi item ex occaſione dixi, vt ſi quæ ſint in eis eſſendi ſic tanquam loci anguſtiæ, dilatato ſinu ſeſe vltra proprietatum ſuarum fines aliquatenus effundant quódque de ſe tantùm eſſet vnius generis aut alterius, tranſeat cognoſcendo ad omnia ; qui naſcendo tantũ erat homo, exempli cauſa, intelligendo fiat Angelus quodammodo ac Deus ; ſapientiſſimè prouiſum ſit ab eo cuius erat hæc cautio, vt toto hoc intelligentiæ regno, quã longiſſimè fieri poſſet, exularet materia, ne fortè quę paruo contenta eſt & vno, nec plura poteſt eodem tempore continere, de ſuâ quaſi parcitate in intelligentem naturam transfunderet, vnde prohiberetur illa amplitudi-

nem ſuam retinere. Ac ſanè quémadmodum triplex eſt intelligentium ordo; ſic primus ac ſumnus & diuinus tam longo interuallo diſtat à materiâ, vt quæ eſt huius eſſentia, potentia receptrix nulla ſit in eo qui totus eſt actus; in ſecundo & angelico ſit aliqua quidem, ſed ea dumtaxat, quam ad formas accidentales réferas; in tertio & humano denique ad formas etiam ſubſtantiales reſpectum habeat, ſed eum exigui temporis & quo ſempiternis ſæculorum ętatibus non iniucundè arceatur animus quippe noſter cùm euolarit è corpore, niſi illud meliori ſorte & conditione reparatum diuinitùs acciperet nec corruptioni poſthac obnoxium aut denſę & obſcuræ molis impedimentis irretitum. Quæ enim, obſecro, & quanta foret hominis miſeria ac infelicitas, imò quàm iniqua ſors,

si quam habet minorem quidem angelicâ ac diuinâ, vim tamen certè, quâ se intelligendo in naturas omnes, loca, & tempora insinuet, & tantùm non primæ ac summæ omnium virtuti æqualem reddat, eâ conditione vtendam accepisset, vt cùm breuissimo tempore per sensus corporis sic tanquam per fenestras eásque angustas modicam terræ aut cœli partem, suâ interim luce ac splendore lustrasset, plusquam sidereum de se ac verè sempiternum ignem videret idcirco in morte fœdissimè extingui, quòd de suo lumine alteri lumen accendisset. Haud quaquam sanè illud est cum naturâ coniunctum, quod sentimus esse à ratione tam alienum. Omnino quam quasi precariò & ad fruendos aliquandiu sensus, non aliter obtinendam mentem materia possidet, cùm dimittit, non interficere, sed

ſed in multam libertatem ac perpetuam vendicare cenſenda eſt, aut omnis naturæ ignoranda intentio, ac ratio.

Sequitur nunc vt de alterâ dicam eiuſdem diuiſionis parte, & vim eam ac virtutem, non modò quæ eſt in rebus vt intelligant, de quâ iam vidimus, ſed etiam vt intelligantur, oſtendam ita contrariam eſſe materiæ, vt tantò creſcat magis, quantò longiùs recedit ab eâ; quod vbi præſtitero, conſtabit illud ex huius capitis inſcriptione; intellectiuitatis ſimul & intelligibilitatis idem eſſe ac vnum commune principium ſecretioné à materiâ. Iſtud autem nonne per ſe notum eſt? Certè cùm tantò res aliqua plus habeat, quo moretur intellectum, quantò vniuerſalior eſt; neque enim intelligendi vis vt ſentiendi, locorum aut temporú angustis finibus coerceri vult;

vel quemadmodum pecus, ſic cogitur homo hoc tantum cognoſcere quod coràm eſt aut fuit aliquando: ſed tunc exultat ac triumphat cùm cancellos quaſi omnes præterrectus verum aliquod non circunſcriptum aut reſtrictum ad pauca, at vagum & plurium commune contemplatur, vt vel ipſa docet experientia. Quis enim non glorioſius putet, verbi causâ, intelligendo penetrare; quòd omnis homo naturâ ſit ſciendi cupidus, quàm quòd Ariſtoteles aut Plato? Atque hinc prouerbio locus, *Quòd vniuerſale ſit proprium intellectûs obiectum.*

Hoc, inquam, cùm ita ſit; cúmque è contrario tanto minùs de amplitudine illâ, & laxitate vniuerſalium propriâ, quantò plus materiæ reperias in rebus; hæc enim, vt alia ſileam, quantitatem ex ſe fundit & in quãtitate definitos ha-

bet ſuæ velut habitationis terminos; hæc nata eſt neſcio quam parcitatem illuc inuehere vbi reperitur, quâ dum vni formę dumtaxat vno poteſt ſubeſſe temporis interuallo, communem cæterarum ſortē excludat à toto, cuius ipſa in partem venit. Rurſum cùm hoc magis ſit intelligibile quidquid eſt illiuſ-modi, quo verius eſt ac certius; hoc verius, quo conſtantius, quo maiori quaſi neceſſitatis pondere fixum ac ſancitum, quo minùs mutationi obnoxium & varietati. Materia autem cùm ipſa dici ſoleat ac reuerà ſit mutationis principium, ob ingenitam illam vim, quâ valet ad plura ſed tantū per vices conformari. Nonne eſt vtrinque conſequens, vt quanto magis rem aliquam à materiâ ſeiunxeris, tanto plus ad eam vniuerſalitatis ac certitudinis, adeóque intelligibilitatis adiunxeris,

cuius hæc ſunt velut aurea flumina duo. Ergo quod erat de duobus oſtendendum alterum: Quidquid ſemel eſt intelligendi virtute actiuâ, vt aiunt, & paſſiuâ præditum, tantò eam habet ſublimioré, quãtò ſe altius tollit à materiâ, cuius proinde immunitas ſit intelligibilitatis & intellectiuitatis rerum commune principium hoc illuſtrius, quo plenior ipſa fuerit.

Continuatio eiuſdem argumenti ſiue quam vim habeat ad immortalitatem animi confirmandam totum illud deſeceſſu à materia, quod iam explicatum eſt.

CAPVT. V.

VT in armorũ & belli academiâ, ſi quis Tyro Magiſtrum roget de certo quodam corporis motu, quam videatur palæſtram

habere; aut de ſibi antè incognito teli genere, quam plagam inferre poſſit; optimus eſſet eum edocendi modus, ſi iuberetur ſtare & vibrationem illam aut teli aut corporis, de quâ reſponſum expectat, ſuſtinere intrepidè; tum intellecturum quid valeat, cùm certum ab eâ ſibi imminere videret mortis periculum, niſi ludorum ac pompæ tépus adhuc eſſet & locus, non aciei & dimicationis. Ita, ni fallor, quod reliquum eſt ex præcedentis capitis ſponſione, quærenti aduerſario in hac animorum luctatione, receſſus ille à materia toties iactatus quid ponderis tandē habeat ad id de quo quæſtio eſt; haud melior iniri poſſit ſatisfaciēdi via; quàm vt poſtulemus id concedi, quod iam nullâ ratione negari poſſe vidimus, ac teli coniectionem attendi. Spero enim lethalem aduerſo pectori ictum

certò infixum iri; vmbratilem quidem & ludicrum, si aduersatur animi tantum causâ; verum autem ac sanguinolentum, si seriò; quãquam ne sic quidem arenam hanc funestare velim. Deus meliora. Vtrique quãto certior, tantò salubrior plaga, quæ non animam eripiet, sed de retinendâ animi vitâ in sempiternas sæculorum omniũ ætates, exploratam ac minimè dubiam spem inijciet. Primùm itaque cùm ea sit intellectûs cum immaterialitate consensio, aut cum materialitate dissensio, quam esse diximus; nonne videtur æquissimum, vt quemadmodum ex eâ concludere est; quòd omnem, si quæ sit substantia abstracta, necesse sit intelligentem esse, vt reuera est; partim quia cùm ab hoc discesseris, nescias cui alteri eam addicas operi, partim quia nullum ei à materiâ impedimentũ; pariter

indidem elicris; quòd ſi quæ ſubſtantia intelligendi poteſtatem in materiam importet ad tempus aliquod, ea ſibi tempus aliud longius ac beatius reſeruet, quo tempore ſeipsâ fruatur, ſine illo terrenæ ac obſcuræ molis impedimento, ne abſtractio & auulſio à corpore id videatur vni detrahere, quod confert alteri. Id ergo cur non faciat animus hominis, aut cùm faciat cur mortem vereatur? ſed illud ſit ſi voles adhuc per ludum & iocum aduerſarium euertere. Quanquã quid in eo ludum interpretor, in quo vt oſtendam quantum ſit roboris & neruorum. Age, reſponde ſi quid potes. Quidquid extra materiam ſubſiſtit, illud eſſe intelligentiâ prædituм, & oportet & opus eſt, cùm eâ conditione ſit, quâ nulla aptior intellectui. Animus verò hominis, quem certò ſcimus tum ſubſiſtere in corpore

& materiâ, tum intelligere; cùm se ex illis quasi laqueis & impedimentis expediet, verendum erit scilicet ne vtrumque perdat. Ecquis ergo nocturnus erit terror & puerilis si hic non est?

Nunc porrò vt certamen etiam à primo repetamus, vtque illud de nobis verum sit canere.

Hæret pede pes, densúsque viro vir.

Si habet animus hominis quid agat extra corpus, habet quoque cur sit immortalis. Tum. si suæ ipsius contemplationi nudæ vacare illic potest, habet illic quid agat. Deinde. si illiusmodi contemplatio neque ipsa per se affixa est corpori, neque ipso superior est animo, potest ei vtique animus illic vacare. Denique, vt assumamus tandem aliquid immortalitate dignum. At neque illa per se contẽplatio ad corpus sic tanquam ad palum alligata est; cuius nec orga-

nicâ, nec obiectiuâ, nec ſociâ & comite, aut alterius cuiuſcunque nominis ratione eget adminiſtrâ. Neque porrò ita intellectûs noſtri capacitatem præteruolat, vt ab eo prorſus naturaliter attingi nequeat; id enim ex eo oriretur quòd animus ipſe ſecundum ſe altioris eſſet ſpeculationis, aut ſi id verbũ clariùs ſonat, intelligibilitatis excellentioris, quàm pro ſuo ipſius captu & intellectiuitate, vt loquimur; id autem quî fieri poſſet? quoniam quidem ex vna ſecretione à materiâ velut ex vno fonte promanantes duo intelligibilitatis & intellectiuitatis riui, pari feruntur in eum impetu, nec vnus alio ſuperior eſt aut depreſſior. Quærerem certè, & vrgerem cui ſic videretur. Vnde illa tam ardua nudi ac ſpoliati integumento corporis, maieſtas animi, quæ ipſiúſmet obſtruat luminibus. Profectò

ex immunitate materię eximiâ aliquâ; hanc enim intelleximus causam esse vnicuique rei cur sit intellectu ardua ac difficilis, aut sublimis. At hæc ipsa causa cùm sit vna pariter & eadem vnicuique intellectui, vt simul ostendimus, cur intelligendi perspicatiâ polleat. Nonne vides quo splendore obiecti & fulgore animorum nostrorum obstupefactos oculos clausum iri credis ac times pueriliter, eodem ad se videndum aperiendos tibi esse & vnde mentis humanæ cognitionem nudam ac claram in cœlum effers, inde tibi parem in eâ ad, illam attingendam acuendam esse aciem? Neque enim id nisi feceris, alio modo te geras; quàm qui ex solis ascensu, hinc caloris accessionem frigido pectori, hinc speraret lippituidini suę luminis decessionem. Huic enim, vt diceres. At nescis, bone

vir, quanto propriùs ſol ad meridiem accedit, tantò in hæc inferiora ex eodem ſinu, maiorem caloris ac luminis copiam ſpargi; aut ergo ſpem tuam aliò conferre diſce, aut inanem hunc metum abijce; neque enim profectò, vnde hęc duo creſcere neceſſe eſt, inde potes de vno detrahere quod alteri ad cumulũ adijcias. Haud aliter certè tuam hîc ſomnolentiam poſſim increpare, qui cùm ex vacuitate materię deriuari debeat in animum hominis tum intelligibilitatis, tum intellectiuitatis excellentia; hoc eſt tum obiecti intelligibilis ſplendor, tum potentiæ intelligentis quę in eo ſit, ad eum quaſi excoquendum caloris vis: ex eâ contendas vnum ſine altero naſci. Aut ergo aliud affer cur nuda animi contemplatio excelſitatem eam habeat, quam ei non iniuriâ adſtruis, & illud omitte quod

in reliquis id generis omnibus passim à cunctis afferri, solere quidem docet experientia, debere autem ratio: Aut desine aliquando subuereri inaniter, ne cùm suos in se oculos fixerit animus, eos ibi præfulgore nimio miserandum in modum perdat, vbi perditos si fortè alibi, recuperandi spes affulgeret eximia. Hoc ergo illud est, si quæritur, quod dixeramus esse secretionis & diremptûs à materiâ cum animorum immortalitate summæ coniunctionis vinculum aptissimum. Nam si luberet exultare, nonne illud iure possim hoc loco ex Poëta mutuari?

Telum haud debile dextrâ
Spargimus, & nostro sequitur de vulnere sanguis.

ex quo tamen sanguine, ne fœdus sit, nulla in nos certè crudelitatis nota redundabit; quando magis aspersus ex eo non leuiter homi-

nis etiam impij animus ad immortalitatis ſpem & confeſſioné firmam efflóreſcet, vt ante dixi, quàm vitam cogetur tandem vllam amittere.

De ſeceſſionis à materiâ cum intelligendi vi, cúmque intelligibilitate conſenſione fuſiùs res tota explicatur.

CAPVT VI.

VT qui recondítam auri & argenti venam fortè reperit, non modò tantum inde extrahit, quantum ſatis eſſe putat ad ſumptus vitæ neceſſarios, ſed etiam vt lautus domî ſit ac ſplendidus. Sic erit, opinor, non abs re, totum iſtud quicquid eſt de cóuenientiâ ſeceſſûs à materia cum intelligendi vi, cúmque intelligibilitate ſcrutari diligentiùs, vnde ſeſe nobis offert veritatis copia auro pre-

tioſior & argento, nec in eo dum-taxat conquieſcere, quod ad immortalitatem animi probandam ſuffecit hactenus, ſed ſi quid etiã liberalius inſit, id in medium adducere. Principio igitur, ne quis ſubſit error, aut oculis debilibus fulgor imponat. Non eſt illud intelligendum, quod diximus de immortalitate fundente ex ſe intelligibilitatem pariter, & intelligendi vim; quaſi aut ſola vtramque pariat aut vbique; quis enim ignorat intelligibilitatem item ac veritatem ex omni gradu entis exiſtere, cùm ſit entis ſimpliciter ac præcisè dicti proprietas de tribus vna? Sanè materia ipſa, cum toto plantarum genere, ac reliquis deinceps omnibus rerum gradibus inferioribus, nonne ſine immaterialitate vllâ intelligibilis eſt? Cui deinde incognitum eſſe poteſt, quòd animantium generi

immaterialitas non quidem abſoluta, quaſi ſtet vllâ ſuî parte vllo temporis puncto ſine materiâ, ſed alicuius tandem modi & ea quæ cernitur in ſenſibus, vt ſuprà ex Ariſtotele diximus, intelligibilitatẽ ſine intelligentiâ tribuat. Quod ergo diximus, quódque ex rationibus allatis deduximus, illud eſt huiuſmodi. Primùm. Ex ſeceſſione à materiâ fieri, vt intelligibilitas non quidem ſit præcisè, eſt enim ſine eâ, ſed præſtet in rebus & excellat; quodcunque enim eſt intelligentis obiectum paulò ſublimius, illud vt vniuerſalius, vt certius, vt præclarius, ita minùs eſt cum materiâ coniunctum. Tũ Non quocunque loco intelligendi vim cum intelligibilitate conecti per ſeceſſum à materiâ; ſed vbi connectitur, ibi eadem menſurâ vtramque per eum ſeponi; cuius quidem legis ſi fundamentum re-

quiris. Attende. Videtur hic rerũ ac perfectionum ordo. Omne ens intelligibile eſt. De intelligibilibus quædam cognitione carent omnino, quædam non omninò. De cognoſcentibus quædam ſenſu ſolo contenta ſunt, quædam ad intelligendum aſſurgunt. De intelligentibus quædam intelligentiæ ſuę velut ſemina & fundamenta mutuari ad tempus ſaltem aliquod coguntur à ſenſu, quædam ſemper purè intelligunt. In ijs quæ ſemper purè intelligunt, eſt qui intellectionem habet eſſentiæ adiunctam; eſt cuius eſſentia ipſa eſt ſua ſuîque ac omnium intellectio infinita, Gubernator omnium Deus. Rurſum vbi nihil eſt vitæ, aut non plus quàm in plantis, ibi omnis in materiam immerſio, neque vlla ex eâ emerſio. Nam cœli ſi ſe aliquorũ opinione è materiâ emergunt; certè è quantitate non item

item; quod autem quantitati affixum eſt non ſecus habet hîc, quã ſi in materiam eſſet immerſum. Vbi ſola per ſenſum cognitio, ibi iam primùm cernitur ſeceſſio à materiâ, non quidem ſecundum ſubſtantiam, aut actionem tandem aliquam ab eâ nihil pendentem, quid enim ſine corpore, in ſenſu intelligas? ſed ſecundum aut ſpecies extenuatas de quibus ſuprà cum Ariſtotele, aut ſi eæ nõ conſtant, certè ſecundum conditiones actionis aliquas meliores ac prę ſtantiores, quàm pro materię quaſi ſtupiditate & craſſitie: puta, in ſenſu interiori, cùm etiam quod longè abeſt aut nuſpiam eſt comprehendit, modò antè propè fuerit; in exteriori autem, dum ſaltem aliquantulâ ſemper diſtantiâ obiectum percipit, quod ſi immediatè imponatur in organum ſentiri nequeat. Hoc autem eſt ali-

quid contactu materiæ præſtantius ac ſubtilius, atque adeo inſtar alicuius ſeceſſionis ab eâ. Iam in alijs res eſt longè clarior. Homo ab ſenſu intellectionis ſuæ initium ducens, nec ſemper cum materiâ ſubſiſtere cogitur, alioqui quid ei prodeſſet perficiendæ intellectionis facultas in medijs ac nunquam auferendis terrenæ molis impedimentis? nec ſemper ſine eâ eſſe ſinitur, alioqui quandonã ſuũtandẽ opus inchoaret? Hic ergo primus vt intelligibilitatis cũ intelligendi vi cõiunctæ, ſic ſeiunctæ à materiâ ſubſtantiæ, non ab omni quidem æuo ac vitę ſuę diuturnitate, ſed in omne poſt mortem quod poteſt tempus intelligi. Secundus eſt in Angelo i coniunctionis eiuſdem ac ſeiunctionis gradus: hic enim non ducit initium à ſenſu, ſed neque vllo cum materiâ ſubſtantiali vinculo nectitur. Tertius eſt ac

ſummus in præpotente Deo ; cui ſua eſt pro intellectione abſolutiſſimâ ſubſtantia & eſſentia ; cùm acceſſu termini à ſuâ diſtincti intelligat vt homo ſic Angelus, qui quidem in eo non omninò recedit ipſe à materiâ, cuius eſt propria ad componendum & ſimul cum alio faciendum aliud inſtituta ratio. Mitto reliqua, quæ longa ſunt, & alibi tacta. In his omnibus porrò cùm obſerues ſenſim creſcere intelligibilitatem, quâ ratione creſcit abſtractio à materiâ, quis enim dubitat quin iucundiora ſint intellectu & difficiliora, animantia plantis, animantibus homo, homine Angelus, Angelo Deus? dum eò veneris vbi intelligibilitatem cum intelligendi vi primùm connexam reperias, quod tibi cõtinget in homine, ſi addubites vtra ſuperior, num fortè intelligibilitas hominis intelligendi facul-

tatem in eo ſuperet, tecum ita diſputa. Intelligibilitas quæcunque eſt in homine melior, quàm in brutis, quò refundenda eſt niſi in gradum ſeceſſionis à materiâ ſuperiorem ipſis, ex quo eodem tribuitur ei intelligẽdi facultas. Hæc ergo illâ vt minor eſſet, oporteret eundem ſeceſſionis gradum ſeipſo maiorem eſſe ac minorem. In exemplo rem agnoſce; ſi in poteſtate hominis ſita eſſet ſine gratiâ Dei aut Chriſti virtus æquè ac vitium, quia penderet tota ratio morum in eo ex eius arbitrio, tantumdem profectò diceremus ei ineſſe poteſtatis virtutum quantum vitiorum, quia libertas in vtramque partem vna. Pariter ergo nunc, cũ tota ratio intelligibilitatis & intellectiuitatis in homine repetenda ſit, vt diximus, ex ſeceſſu à materia, atque hic ſit ſecum vnus, par erit illarum pro-

fectò inter ſe ratio. Deinde ſi illarum eſt cum huius confuſa excellentia, profectò & inuicé quadrét neceſſe eſt, aut quæ ſunt eadé vni tertio, non erunt eadé interſe. Denique ne cauilleris ex eodem quidé fonte velut hauriri ab homine intelligendi vim ac intelligibilitatem, non tamen eodem vaſculo, adeóque de hac poſſe plus aliquid habere quã de illâ; ſeceſſionem à materiâ oportet meminiſſe inſtar hîc eſſe non modò fontis, ſed & vaſculi aut menſuræ, quam fruſtra requiras alibi. Tantùm ergo intelligens quantùm intelligibilis homo. Atenim ſimile quid de alijs animantibus ſubodorari ſibi videtur aduerſarius. Quid porrò? tantum eſſe in eis virtutis ad ſentiendum, quantum ſenſibilitatis ineſt. Sit ſanè ita, id enim tum mihi quoque prodeſt, vt ne homo pariter intelligibilior ſit vllâ ſuî

parte quàm intelligentior ; tum animam pecudis non oſtendit eſſe ſibi ſenſibilem ipſi , quæ omnino ſenſibilis non eſt ipſa in ſe & ſecundùm ſe , cùm de obiectis ſenſuum apud omnes conſtet nec in ijs numeretur ab vllo. Nam vt ipſa ſe poſſet tandem intueri, quid tum ? ideône & ſine materiâ ſtare poſſet, quæ ſi ſe videret, affixam penitus ſentiret corpori , vt actione, ita & eſſentiâ ; cùm contra humanæ mentis ſubſtantiam à materiâ abſtrahendam demonſtremus, ab actione eius abſtractâ. Verùm, inquis , intellectio eius eſt per ſenſum ſaltem inchoanda, non ergo abſtracta. Inchoanda certè aliquando, non ſemper; alioqui euerte omnia quæ diximus de eâ hactenus. Tunc autem cùm aliud eius initium eſſe poterit, alia quoque erit animæ ipſius manſio, quæ ſeſe excluſa corpore , domî

ſuæ tutiùs continebit, quàm alienæ. ſed hæc infra fuſiùs.

Occaſione obiectionis quartæ Magnus ex Ariſtotele locus & queſtionis huius propriùs tractatur.

CAPVT VII.

ATenim aiunt, de totâ argumentatione iſta quid tam altum Ariſtoteli ſilentium? Quaſi verò niſi quod vni certo homini in mentem venerit, nihil poſſit, aut verum eſſe, aut pro vero admitti cùm abalio allatum fuerit. Quanquam quid hîc Philoſopho relictum in præteritis? An de immortalitate ipſâ, quam ſuprà totis penè libris de anima ex eo adſtruximus? An de intuitiuâ viſione ſuî quæ quadret in animos noſtros, aut de ſecretione à materiâ, quo vſi ſumus argumento vltimo, vt quadrare demonſtraremus? At

vtrumque apertè prædicat vno & eodem loco, quem auro redemiſſem bene multo, niſi ſe ſponte aliud propè agenti obtuliſſet. Locus eſt ex capite quinto tertij de animâ in hæc verba notatu digniſſima, quæ operæpretium eſt vno priùs tenore recitare, pòſt verò examinare ſingula & interpretari difficilia. *Ipſe verò eſt intelligibilis, vt intelligibilia. Nam in ijs quę ſunt ſine materiâ, idem eſt intelligens & quod intelligitur, ſcientia namque contemplatiua & ſcibile idem eſt: cur autem non ſemper intelligat, cauſa eſt conſideranda. Sed in ijs quę habent materiam, ſingula intelligibilia ſunt tantùm poteſtate.* Hactenus ex Philoſopho, quem cùm audio tam expreſsè docentem quæ diximus ipſi, ſubit (fatebor enim ingenuè) illud aliquantulum gloriari, quòd in re tam graui in tanti philoſophi veſtigia ſponte ſine duce incurre-

rim, indéque immortalitatem homini vendicârim, vnde poſtmodum vendicatam ab ipſo reperi. Sed vt totam gloriæ poſſeſſionem vni Deo, cuius reuera eſt, liberam relinquamus ac patentem; vnum verè affirmare poſſum; cùm antea certa videretur ac neceſſaria ratio quam hic vrgeo, videri nunc verò multò magis, poſtquam tam grauis ei acceſſit authoritas. Verùm hæreamus in ſententijs eius ſingulis, ſunt enim, vt dixi, conſideratione noſtra non indignæ. *Ipſe quoque*, inquit. Loquitur certè de intellectu humano, aut oblitus eſt propoſiti; principio enim capitis dicturum ſe oſtenderat de parte eâ animæ, quâ cognoſcit anima & prudentis munere fungitur; quanquam id poſtea. Verba ſunt ipſius. Ipſe igitur intellectus quoque humanus, inquit, eſt *intelligibilis vt intelligibilia porrò*; quid hoc?

Nonne quidquid intelligi poteſt, more intelligibilium id poteſt? Non certè purè intelligibilium, ſiue immaterialium, qualia ſe intelligere hoc nomine, fatetur cum ſubdit. *Nam in ijs quę ſunt ſine materiâ* (id eſt in intelligibilibus quæ explicat) *idem eſt intelligens & quod intelligitur.* Quid iſtud rurſum? nonne pariter in ijs quę cum materiâ, quandoquidem intellectus quodammodo fit omnia quæ intelligit, vt ſuprà ipſe dixerat, aut breuî dicturus erat? Myſterium eſt, quod ſic enuncies. Duplex eſt Ariſtoteli intelligentium ſtatus. Alter cum ſpecie expreſſâ, ſeu ipſo intelligendi actu confuſus, anterior alter & ad hunc proximè accommodatus. De confuſo dixit intellectum ſubire quodammodo naturam intellecti cuiuſmodicunque, adeòque etiam eius quod non ſine materiâ; fieri quodam-

modo quidquid intelligit, adeóque omnia, cùm nihil ſit quin intelligat; quâ etiam ratione poſſis dicere vbique idem eſſe quod intelligitur, dum intellecti ſpecie expreſſa & imagine viuâ iam ſe decorauit intelligendo intellectus, éſtque cum eo proinde vnum quid, eo ferè modo, quo materia cum formâ conſociata. De ſtatu anteriore alia eſt Philoſopho philoſophandi ratio. Et quidem non arbitratur quę ſunt coniuncta cum materiâ ſine ſpecie ſuî impreſſa in eo conſtitui vt ſint proximè intelligibilia; quæ ſunt ſeparata, arbitratur; hinc illa apud eum in loquendo cautio; vt hæc aut intelligibilia ſimpliciter, aut intelligibilia actu vocet, illa tantùm poteſtate. Nunc, quia ſpecies illa impreſſa vbi reperitur, vicem habet eius quod intelligitur quaſi immediatam & eſt inſtar obiecti

proximi; propterea disertè Philosophus. In ijs, inquit, quæ sunt sine materiâ idem est intelligens, & quod intelligitur; quasi diceret, & quod proximè ad intelligendũ disponit; quia istud non iam amplius est species in intelligente impressa & signata, sed ipsa eius substantia. Dixerat de immaterialibus idẽ esse in ijs quod intelligit quódque intelligitur; dicturus de materialibus oppositum ait; in ijs singula intelligibilia tantùm esse potestate, hoc est, ita vt interuentu egeãt speciei impressę; quid restat nisi vt membrum aliud huic aduersans, quod intelligens sit cum intellecto idem in carentibus materiâ, intelligamus de intelligibilitate actuali sine specie impressâ?

Quòd textûs Aristotelici explicatio vna sit ea quę iam allata est.

CAPVT VIII.

ID si nondum est satis apertum omnibus, magnam ex eo lucē accipiet; si quis consideret Philosophum textu illo iniectam paucis antè verbis dubitationem lectori tollere, de modo quo intellectus ipse intelligibilis esset; per se an per aliud; si enim per se, iam intelligibilium cùm videatur esse species vnica, quidquid est intelligibile, fore quoque ipsum intelligens, eiusdem quippe cum intellectu speciei; si autem per aliud, mixtum iri ex aliquo quo fiat intelligibilis vt reliqua. Hanc difficultatem vt exsorbeat, respondet loco à nobis explicato, intelligibilem quoque esse intellectum vt intelligibilia. Nodum huuc

porrò comparatiuum aliqui ſe expedire putant, cùm dicentem faciunt Philoſophum, quòd intellectus habeat intelligi per aliud inſtar intelligibilium materialium, per adiunctam ſpeciem. Sed, amabo, hac mente cur intelligibilia ſimpliciter appellâſſet quę ſolitus eſt ipſe intelligibilia poteſtate vocitando ab immarerialibus diſtinguere, hoc eſt, ab ijs quæ intelligibilia nudè ac præcisè aut certè actu paſſim alibi videas ab ipſo nominari. Deinde, vt de huius ambiguitate nominis, quod ei ſanè non multo antè alio vſu venerat, ne illepidus in te ſim & difficilis; quid ſibi voluiſſet progreſſus ille ad rationem quam ſubiungit, éxque immaterialibus repetit, dicendo. *In ijs enim quę ſunt ſine materia &c.* Potuítne clarius quidquã dicere, vt ſe oſtenderet de intelligibilibus abſtractis id elocutum

esse, cuius rationem in eorum naturam referebat. Progressum verò quid vrgeo? ratio ipsa cùm tantum nobis afferat pondus testimonij, quantum ab vllo desiderari possit. In ijs intelligibilibus, quorum instar dixerat intellectum esse intelligibilem, ait idem esse intelligens & quod intelligitur, atque id quidem actu vt satis significat, dum alijs & aduersis postea tantũ huius rei potestatem tribuit. quæro autem pro quo tempore id dicit aut momento temporis? pro antecedente intellectionem, an eo quo ipsa est? Si de hoc vltimo interpretaris, vide quàm congruè loquatur ex te Philosophus, qui de intelligibilitate quid sentiat rogatus dicere, de intellectione respondeat. Egregiam verò rationem quam sic dicto subiungas. Est intelligibilis intellectus vt intelligibilia, quia hæc dum intelli-

guntur vnum faciunt cum intellecto. Quid facit certè ad effectum hunc cauſa hæc poſterior ipſo? vt mittam dicere iam dictum ſupra, quòd contentum illâ non ſit, vt deberet eſſe ex mente Philoſophi, aliquid proprium intelligibilium illorum præ aduerſis, de quibus iam mox dicturus eſt. Nunc autẽ de anteceſſione ſi fateris, & intelligibilia ad quæ refertur intellectus ab Philoſopho, vt ſit intelligibilis, agnoſcis ea eſſe, in quibus intellectus ſit actu id quod ſuo tempore intelligitur, priùs etiam quàm illud intelligatur. Intellige igitur ipſe alia hęc eſſe à materialibus, de quibus diſertè id negat paucis antè & pòſt verbis, aítque in eis tum identitatem intellectûs cum intellecto nullam prorſus eſſe ante intellectionis actum niſi poteſtate, tum ſingula intelligibilia tantũ eſſe potentiâ.

Tettiò,

Tertiò de cauſâ cur non ſemper intelligat intellectus eo modo intelligibilis quo dixerat eſſe, cur tantâ feſtinatione antè vocaſſet in dubium aut reieciſſet aliò, quàm ſecundum djuiſionis ſuæ membrum attingeret in ijs intelligibilibus quæ non ſunt ſine materiâ. Profecto enim ſi intellectum tantum volebat eſſe intelligibilem more aliorum communi pérque ſuperpoſitam ſpeciem; nec illa quęſtio videbatur tam noua vt antè ponenda eſſet, quàm cœpta oratio abſolueretur; nec erat tam ardua vt conſiderandi ſpatium peti deberet. Iam ſanè pridem dixerat de illo intelligibilitatis modo quid ſentiret, & erat in eo ex dictis facilis reſponſio, quòd intellectus ab intelligendo ſe, ſi quando impediretur, id fieret propter non ſemper expeditum phátaſmatis vſum. Denique ſi per

aliud intelligibilem decreuiſſet intellectum, cur in eo refutando laborâſſet infrà, vt videbis, quod allatum fuerat contra decernentes intelligibilem per ſe, de inuehendâ intelligendi vi in omnia intelligibilia? id enim profectò ita reſpuit vt oſtendat non effici ex eo quod nimirum intelligebat reſponſum à ſe, de intellectu ſic ſine alio intelligibili. Contra verò locum hunc cùm ſic nos interpretari iuſſeris, vt fecimus, vide quàm bellè tum hæc, tum alia omnia cadant. Quod quærebatur, reſpondet intellectum *intelligibilem eſſe vt intelligibilia*. Hoc eſt, per ſe ipſum, intelligentiarum modo; quod vtrumque in ratione ſubiectâ planum facit. *In his enim quæ ſunt ſine materiâ.* quo pacto ſanè intelligentiæ. *Idem eſt intelligens & quod intelligitur.* Hoc eſt; vt ex ſe habent actum quo poſſint intellige-

re, ſic etiam quo intelligi; neque proinde ſpeciem impreſſam requirunt. Mox autem quia conſequens videbatur inde, contra quàm experimur, vt ſe ſemper intelligeret intellectus, cui ſua ſemper cùm intelligendi vis, tum intelligibilitas præſtò foret; id quia difficultatem habet fortè non paruam, ne cui ſit in morâ, ſpondet excutiendum alibi; ac proinde ad diuiſionis ſuæ partem alteram progreditur. *In habentibus autem materiam potentiâ vnumquodque intelligibilium.* Hoc eſt, materialia verò ex ſe non habent actum quo proximè ſub aſpectum intelligentis cadant, ſed egent intermediâ ſpecie, quam cùm poſſint ex ſe fundere aut aliunde expectare, inde fit vt intelligibilia ſint tantùm potentiâ, quantum in ipſis eſt. Subiungit porrò. *Quare quidem illis non inerit intellectus, ſine materiâ* 58

enim potentia eſt intellectus talium; illi autem inerit intelligibile. Hoc eſt, propterea materialibus non conueniet vt intelligant, quamuis conueniat intellectui vt intelligatur, quia illorum intelligibilitas & conſenſio cum intellectu non eſt actus quo ipſa ſint in ſe id quod ſunt (quo quidem in caſu, ratione ac viâ procederet oratio, eſſétque omne intelligibile intelligens, in omni intelligibili intellectus) huius autem eſt, cùm illa eatenus dumtaxat poſſint intelligi, quo interueniente ſpecie poſſunt à materia ſegregari pluſculum in ratione obiecti; hic autem hoc ipſo quòd intellectus eſt & ſegregatus aut ſponte ſegregandus à materiâ etiam ſecundum ſe: quo fit vt quemadmodum ſpecies ex quâ habent intelligi poſſe materialia, non eſt ipſorum natura interior; ſic neque ſit in ipſis intelli-

gendi vis, quâ nihil certè poteſt interius in eo eſſe in quo eſt; intellectui autem hoc ipſum natura ſit, quo vt intelligere ſic intelligi poteſt; quod totum eò tandem recidit, vt corporea ſint intelligibilia non intelligentia; ſpiritualia tum intelligibilia tum intelligentia; ſed hęc intelligibilia per ſe, per ſuam ipſorum intelligentem ſubſtantiam, cui quidem vtrumque beneficium debent; illa non per ſe, immò per aliud, quod eis de altero tantum gratificari poteſt. Huic explicationi quid opponi poſſit non video, niſi quòd conſequens ei eſſe videatur, vt ſpiritus ſpiritui non modò ſibi ipſi, ſed & alteri ſit per ſe ſine ſpecie impreſſâ ſuo modo intelligibilis. At id vt in Ariſtotele admitterem, quid tum? neque enim eſt interpretis, autoris ſui mentem vſquequaque extra autoritatem eius defendere.

Sed ne id quidem faciendum mihi eſt neceſſariò ; poſſum enim iure reſpondere pro Philoſopho; dixiſſe intellectum intelligibilem per ſe, ſaltè ei ſcilicet, cuius maximè intereſt ipſum intelligere; quod ſatis erat ad quæſtionem propoſitam: ſuâ autem illud cùm interſit in primis, quid opus fuit eum dicere ſic intelligibilem pluſquam ſibi? Atque hęc mihi ſanè reſponſio hoc nomine videtur prę aliâ retinenda, quòd cùm ęquè tuta ſit, longè plus etiam ad ea quæ dicenda ſuperſunt, vtilitatis habeat. Tutam porrò aut retinendam præ aliâ quid eam reſponſionem voco, quæ eſt vna neceſſaria? Quæſo enim, cùm ait Philoſophus in ijs quæ ſunt ſine materiâ idem eſſe intelligens & quod intelligitur, ídque intelligit de ſtatu antecedente intellectionem, vt vel inde patet præter iam dicta, quòd

mox miratur cur non ſemper intelligat, mirationem autem nil eſſet quod facere poſſet in ſtatu intellectionis, in quo certè ſemper intelligit ; id cùm ait, intelligi vult de omni eo quod intelligitur vniuerſè, an de aliquo propriè ? ſi de omni vniuerſè ; ergo vel materialia non intelliguntur omnino, vel antequam intelligantur, cum intelligente idem ſunt; quod vtrũque cùm ipſi Philoſopho repugnet, primum quidem quo loco ait intellectum intelligendo fieri quodammodo omnia, alterum autem vel hîc dum aſſerit intellectui non conuenire vt ſit vllum intelligibilium antequam intelligat, ſed tantùm vt eſſe poſſit. Relinquitur omnino vt dictum illud explicandum ſit de aliquo propriè, ſítque intellectus vt ſine materiâ, ſic ſanè cum ſuo obiecto aliquo ante intellectionem idem ;

illud autem ecquod potius erit quàm primarium? primarium verò obiectum cùm vnumquodque intelligens sit ipsum sibi, quid superest nisi vt sententiam suam si explicârit Philosophus, dicat apertè intelligentem substantiam omnem, aut quod eódem fertur, materiâ carentem, idem esse vnamquamque cum seipsa intelligenda etiam vt sic ante ipsum, si fas, intellectionis actum; quod est ipsam esse per se intelligibilem, sed sibi. Nam de alijs, vt ab ipsis possit intelligi, quid curæ Philosopho? qui intellectu quidem eóque fermè humano, vt ad hæc inferiora se habeat, disputauit aliquando; vt autem vnus ad alium, si visus est alicubi fidem dare, nescio quid factum sit cur nusquam præstitisse arguatur.

Digitized by Google

Continuatio eiuſdem argumenti.

CAPVT IX.

SEd eſt præter ſuperiora omnia, quo interpretatio noſtra maximè, vt puto, continetur, aduerſariorum euertitur, caput interpoſitæ dubitationis alterum; quòd ſi per aliud haberet intelligi intellectus, miſcendum ei illud foret: huius enim incommodi reijciendi cauſâ tam apertè Philoſophus ait intellectum eſſe intelligibilem non per aliud, vt nihil ſuprà. Quo in genere operæpretium eſt verborum eius omnium pondera diligenter examinare. Vt quæſtionem poſuit de intelligibilitate intellectûs, per ſe an per aliud, vtque in contrariam partem diſſeruit, ſtatim. *An pati quidem*, inquit, *eſt ſecundum aliquid commune.* Quæ verba cum ſequentibus

aliquot etsi referri possint ad dissoluendam antè allatam ex Anaxagorâ dubitationem aliam, nihilo minùs tamen pertinere censenda sunt ad incommodum istud, quod tam commodè repellunt; neque enim nescit Philosophus de eadem fidelià duos parietes dealbare; ac tandem sustinenda sunt. Ergo. *An pati quidem*, inquit, *est secundum aliquid commune?* An verò subiectum in quo imprimuntur intelligibilium si fortè vllorum species, & locus in quo collocantur eorum imagines, debet esse eiusmodi, vt promiscuè & communiter omnibus pateat, neque cum vno de illis intelligibilibus maiorem habeat naturæ coniunctionem quàm cum alio? quâ ratione materiæ æqualis est cum formis omnibus cognatio. Pergit. *Idcirco dictum est antea, quòd intellectus potestate quodammodo sit intelli-*

gibilia, quatenus ſcilicet locus eſt ſpeciebus eorum recipiendis aptus, *Sed actu nullum antequam intelligat.* neque enim vt Plato volebat ingenitas habet ab ortu ſpecies illas, quas tunc tantùm acquirit cùm ſe ad indagandam veritatem ſenſibus, ſic tanquam canibus ſuccingit. *Sic autem oportet vt in codice, in quo nihil ſit actu ſcriptum, quod quidem euenit in intellectu.* Euenit porrò. Ad quæ verò intelligibilia putas Philoſophum reſpectum habuiſſe cùm hæc de intellectu diceret? Ad omnia? Etiámne ad ipſum de quo inquirebat an eſſet intellectus intelligibilis? At nulla profectò ratio eſt dicere, quòd intellectui nulla propior ſit ſecum quã cum alijs neceſſitudo & cognatio, quódque antequam intelligat ne ſit quidem ipſe id quod reuera eſt, actu ſed poteſtate vnicâ. Alius ergo eſt in mente Philoſophi hu-

ius loci ſenſus, quem ſi rectè aſſequor ita velim explanare. Si intelligibilis eſſet intellectus, inquit, per aliud ei miſcendum, more aliorum intelligibilium ac materialium, de quibus hactenus; vt habet ad illa à natura inſtar tabulę nouæ in quâ de vno non plus ſit inciſum quàm de alio; vt eorum proprietates ac naturas poteſtate quidem omnes ac ſingulas, actu autem de ſe nullam poſſidet; vt omnibus eſt communiter expoſitus, nulli priuatim addictus; ſic eum oporteret à ſeipſo vacuum atque nudum naſci; ſibi quàm alijs nihilo beneuolentiorem eſſe aut amiciorem; intelligendi vi denique neceſſe haberet non magis contineri & conſtitui, quàm illuminandi, calefaciendi, aut huiuſmodi virtute aliâ; quæ quidem omnia ſi per ſe abſurda ſunt; de intelligendo intellectu alia eſt

ineunda ratio, quàm quæ hactenus in corporibus intelligendis expoſita eſt: vt cùm hæc nimirum de ſe intelligibilia poteſtate ſint, pérque ſpecies eas ac imagines inchoatáſque intelligentias, quas ſibi ex æquo patitur imprimi intellectus, ipſe ſit actu non iam per iſta, ſed per ſe intelligibilis vt intelligibilia, hoc eſt, vt ſeparata à materiâ. Hæc ſi non eſt vera & directa Philoſophi ratio ac reſponſio ad quæſtionem propoſitam, cùm ſubdit. *Ipſe verò intelligibilis eſt &c.* Prodeat certè in lucem, qui meliorem afferat, ſimúlque præter alia iam dicta omnia, illud nobis ediſſerat, quæ cauſa ſit, ſi illa non eſt quam pugnamus eſſe, cur poſt agitatum modum intelligibilitatis corporeum; ſic tanquã ex contrariâ parte, de modo intelligibilitatis ipſius intellectûs ordiatur explicare vt ille quidem ſit

aliquis, ſed is certè qui intelligibilium eorúmque quæ ſine materiâ ſunt. Hanc enim vim habent conſequẽtia proximè verba nunc allata Verùm hæc ego iam videor ſine aduerſario perſequi, quæ vix vllus poſſit aut velit inficiari; quanquã quid operæ parcas aut ſumptui eâ in re, quam bene ſemper emiſſe iudiceris quacumque emptione? Intelligibilia quorum inſtar intelligibilis eſt intellectus, ſtatuente Philoſopho, trifariam ſummùm interpretari poſſumus. Aut enim, vt ea ſint intelligentiæ abſtractæ; aut vt res materiales; & eæ vel quomodo in ſe iacent, vel quomodo ſublatæ quaſi ſunt & ſuſpenſæ ſpeciebus impreſſis. Prima interpretatio ea eſt ipſa quam ſermo hic noſter conſtitutã vult; ſecùnda, quam euertit; tertia, quâ contentus eſſe poteſt; dum quicquid in rem noſtram locus hic

conferre debet, id omne abundè habetur ex eâ, ac nominatim illud; quòd intelligibilis ſit intellectus per ſe non per aliud, nonne vel inde ſequitur, ſi modò intelligibilis ſit more ſpecierum abſtractarum aut potiùs rerum materialium, quatenus per eas in præſentiâ & ante oculos intelligentis proponuntur; iam enim cùm eæ vt ſic ſint intelligibiles non per aliud quid diuerſum ab illo quaſi compoſito, ſed per ſe vtique, aut ſuî velut particulam; alioquin quis progreſſionis illius finis, quòdue intellectionis initium? profectò ſi eſt intellectus modo & ratione earum ſic diſpoſitarum intelligibilis, per ſe talis eſt. Elige ergo à duobus vtrum malis, tertij enim ne ſit optio ſoluta, ratio ipſa intercedit. Ac ſanè ſi vltimum arriſerit, vide vt par pari referas, neque tibi in eo cùm permanendi poteſtas

fuerit, vnde te si velim, exturbem, putes impeditum mihi fore iter ad aliud ac primum ; præsertim cùm vltimo nulla causa faueat, quâ primum iuuari non possit; nulla videatur obstare posse primo, quâ non deleatur vltimum.

Quòd Aristotelis textus iam explicatus de intellectu humano intelligendus sit.

CAPVT. X.

DE Philosopho quod dici solet communiter magis quã grauiter, posse plerumque aut solere in res contrarias testem citari; nescio id ei in obscuritatis infamiam, an potiùs in laudem ingenij conferre debeam. Neque enim fortè si fuisset in scribendo paulò clarior, tam varia fuisset locorum eius interpretatio ; aut si minùs in iudicando acer, de auto-

tate

tate eius sibi conciliandâ tam multi profectò laborassent. Auerroi porrò vtra causa fuerit, cur eum tantoperè ad suum de fabuloso illo intellectu assistente somnium trahere conatus sit, vt parum refert nôsse; sic sanè multum hoc loco veritatis interest, ne cui iure obstrepere videatur. Recognosce quæso, textum, & aude affirmare, quisquis es aberrans à vero Auerroista, de communi illo ac separato intellectu quem fingis, non autem de humano quem videmus intelligendi esse. Primum enim; separato illi seu creatus sit; seu non, quid attinebat velut magnum quid attribuere, quòd intelligibilis sit vt intelligibilia, hoc est, vt ea quæ nihil habent cum materiâ commune in naturę compositione; quasi verò haberet aliquid huiusmodi, si quis esset ità separatus & assistens, quem suus

autor ipſe, ne quid videretur habere, idcirco aut tantum aut præcipuè excogitauit, quíque extra nos noſtráque iacens, ad corporis noſtri ſenſus, ſic tanquam ad feneſtras animi, ſi fabulæ credimus, neſcio cui phantaſiæ præſtolatur paulò meliori quàm ſit in beſtijs. Iſta enim qualiſcũque communicatio operæ ſi cui, fortè videretur ſatis eſſe ad eum ſecernendum ab intelligibilibus ſiue purè immaterialibus; reſpondeat ille quid illo tandem numero & loco intelligibilium habeat Philoſophus; certè enim ne ipſum quidem Deum, aut alias intelligentias abſtractas reponet in ijs, quæ non modò cõpoſitione eſſentiæ, ſed ne ſocietate quidem actionis vllius velit eſſe cum corporibus mixta; quando ne ipſum quidem Deum aut aliã intelligentiam ex ſuì ſaltem orbis mouendi munere eximit. Clarum

eſt igitur, quòd intetellectus ille, quem ait Philoſophus intelligibilem eſſe vt intelligibilia, hoc eſt, inſtar intelligentiarum tantùm mouẽtium cœlos, nec vnam cum eis coagmentantium eſſentiam, non ſit eis dignitate par, adeóque in vnam cum materia conueniat eſſentiam; alioqui certè non minus eſſet ridiculus cordatis omnibus, quàm ipſi fuiſſet, ex quo Platonem audijſſet more hominum ambulare; quaſi verò ſe ipſe ad pecudis diſciplinam applicuiſſet; huiuſmodi verò intellectum vnam cum materia eſſentiam integrans quia nemo ſuſpicari poteſt in alio quàm in homine, reliquum eſt vt de humano intellectu eóque corpus ſeipſo informante verè ac propriè, diſputet hoc loco Philoſophus, ſi quidquam ex eo fas eſt vlli capere. Nam quòd aliquis reſpondere poſſet propterea

intellectum de quo hîc, ab intelligibilibus aut vt ſimpliciùs dixeris, intelligentijs ſecerni ; non quòd ſit forma hominis & pars ſubſtantiæ eius, vt volumus, ſed quòd ei in intelligendo aſſiſtat, & phantaſma ab eo fabricatum expectet, quo vtatur in opus ſuum & ſpeciẽ exprimendam ; quis non videt valere id ei quidem potuiſſe, quod totum ad intelligendi vim actiuam pertineret, vt ſeiungeretur à modo intelligendi quem habent intelligentiæ proprium ; non autem vt à modo quo intelligi poſſunt, à quo tamen ipſum ſeiungit in modo loquendi Philoſophus, dum teſtatur intelligibilem eſſe vt intelligibilia. Intelligibilia itaque quorum è numero excludit Philoſophus intellectum de quo diſputat hoc loco, cùm ſint ea quibus conuenit exiſtentia à materia penitus abſtracta, omníque

tempore; conueniat autem ſic Auerroino, non conueniat intellectui humano; palàm eſt quàd de humano hîc ſermo ſit, non vtique de Auerroino. Verùm eſt aliud etiam in quo illud non minùs luceat. Sub finem textûs mouet hoc dubium Philoſophus, alióque diſputandum reijcit, cur intellectus non intelligat, ſiquidem vt intelligibilia, hoc eſt, per ſe, cùm ſibi intelligibilis ſit ſine ſpecie impreſſa, paratiſſima ſemper habet omnia ad ſuî, vel minimum, intellectionem; neque vlla cauſa ceſſationis æqua & iuſta videtur ei eſſe poſſe. Hîc ego vnum quęro; de quo intellectu dubitatio hęc exorta ſit philoſopho; ſi de humano, vt opinor, vtque mox efficiam cùm alios excluſero; ergo de humano quoque dictũ voluit quod præmiſerat proximè, intelligibilem eſſe vt intelligibilia; neque

Textus Aristotelis de intellectu humano iam explicatus quid & quantum ad causam nostram proficiat.

Caput XI.

NE cui fortè videamur in illius ex antiquis Imperatoribus culpam incidisse, qué circumferebant scire quidem vincere, victoriâ verò nescire vti; operæpretium est hoc loco scrutari diligentiùs ex illo textu iam nostro quid consequens sit in rem nostram. Quærebamus, ab Aristotele numquid esset indicatum de intelligibilitate simul ac intellectiuitate (ita enim intelligentibus loquimur nunc) ad secessionem à materiâ tanquam ad principium vnum ac fontem reuocandâ. Habemus verò indicium vtriusque illo in textu manifestum. Intelligibilitatis qui-

dixit nonne palàm ſignificauit nullam eſſe, opinione ſuâ, ſubſtantiam à materiâ ſeiũctam quin ea ſit intelligens, alioqui non eſſet cum intellecto idem in omnibus intelligens, ſi in aliquâ non eſſet omninò. Iam verò quæ potuit melior & grauior afferri conſociatio virtutis intelligendi cum ſeiunctione à materiâ, quàm vt ab eâ nuſquam abeſſe oſtenderetur. Habemus ergo Philoſophicæ vocis teſtimonium firmum de repetendâ intelligibilitate & intellectiuitate ex ſeparatione à materiâ. Sed neque hoc tantùm, quod ſi fuiſſet vnicum, poterat hauriri ex illo textu cùm intelligeretur de quouis intellectu, æquè atque cùm de humano: neque quidquã feciſſem in eo ſic interpretando, quod operæpretium eſſet. Nunc autem cùm ſic intelligendus eſt; in primis non obſcurè Philoſo-

phus animæ intelligenti teſtimonium præterea dat non quidem immaterialitatis abſolutę, hoc eſt, quâ ex ſe ita ſit in ſe conſtituta vt in vnam naturam cum corpore concurrere nequèat ; id enim falſum eſſet, ſed certè immaterialitatis eius, quâ neque ipſa ſecundum ſe conſtet materiâ, neque rurſum materiæ in compoſitione hominis conſortium reſpuat; quorum quidem illud quia multi exiſtimant ad immortalitatem argumento eſſe ſatis magno ; iſtud Auerroiſtarum de intellectu nobis tantum non aſſiſtente, nec eo in partem naturæ adſcito refutat inſaniam, obſeruandum eſt vtrũque vt ex Philoſophi mente hoc loco ſit. Ac ſanè primum illud de ſimplicitate intellectûs humani, quem nulla in ſe materia conſtituat, clarum eſt ipſi placere, ex ratione quam affert cur ſit intelli-

gibilis vt intelligibilia, quòd ſcilicet in ijs quæ ſunt ſine materia &c. His enim verbis quid opus fuit vti, immò quid potuit eſſe loci, ſi eum non ſine materiâ voluit eſſe in ſe. Nonne cùm dico è contrario homninem eſſe corruptibilem, & rationem hanc affero, quòd in ijs quæ non ſunt ſine contrarijs &c. oratione meâ manifeſtè hominem cum ijs miſceo quæ non ſunt ſine contrarijs. Pariter ergo Philoſophus intellectum humanum cum ijs quæ ſunt ſine materiâ ita coniungere cenſendus eſt, ne quid ineruditu m dixerit & abſurdum, vt materiam quidem natura eius, quomodo in ſe eſt cóformata, aſpernetur ac reſpuat, quod erat primum è duobus, ſeipſam tamen ipſi ad conſtituendum hominem haud neget, quod eſt alterum indidẽ eruendum; neque enim, vt in ſuperioribus dixi,

fas vlli eſt, nedum Philoſopho quæ ſint eiuſdem generis eorum alterum ita conferre cum alijs vt ab eo genere videatur illud dicendo ſecernere. Patet autem quòd cùm ait intellectum humanum intelligibilem eſſe inſtar intelligibilium, hoc eſt, ſubſtantiarum prorſus abſtractarũ, ipſum ſecernit ab eis, hoc ſcilicet nomine, quòd illæ ſi quando ſe ad corpus applicent, non vt vitam ex eo hauriant, quam habent ex ſe cuiuſmodicunque habere poſſunt abſolutiſſimam; intellectus verò ad materiam accedat ſentiendi cauſâ & vegetandi, quo in genere plurimum valet cõiunctus, ſeparatus omnino nihil. Anima ergo humana, teſte vel hîc Philoſopho, tum ſtat in ſe ſine materiâ, tum pars eſt naturalis hominis ac eſſentialis. Sed eſt præterea huius loci eiuſdem, velut agri fertiliſſimi, in rem noſtram fructus

vberrimus lectiſſimuſque, cùm ait videndum alibi quid ſit cur intellectus humanus non ſemper intelligat, qui intelligibilis ſit vt intelligibilia, hoc eſt, per ſuam ipſius ſubſtantiam ſine ſpecie impreſſâ. Quæſo enim, cui ſic intelligibilem eſſe profitetur intellectum illiuſmodi? ſibi etiam, an alijs tantum? ſi autem ſibi quid reſtat, niſi vt quod eſt totius noſtræ demonſtrationis firmamentum ac robur, intellectus noſter ſit ſuî in ſe adeóque clarè videndi capax non modò per rationem initam & ſubductam, ſed & per philoſophi authoritatem ampliſſimam. Si alijs tantùm, vide quàm ineptè ad antecedentia & conſequentia; quorſum enim cùm toto antè capite diſputâſſet, diſputãdúmque propoſuiſſet doctor nó inſulſus, de modo quo intelligimus; nunc ſine cauſâ de eo

dumtaxat differeret quo intelligimur? quid hoc ad rẽ? Deinde propositæ dubitationi cur vacaret ab intelligendo humana mens intelligibilis vt intelligibilia, quid fuisset loci apud eum hominem qui nôsset cũ ratione dubitare? Nõne porrò sibilis & explosione omniũ dignus fuisset si sic dubitanti responderi potuisset à quoquam, pronunciatam quidem esse intelligibilem hoc sensu mentem nostram, sed alijs non sibi, adeóque non quidni semper intelligeret sed dubitandum vtique fuisse, cur aliquando non intelligeretur, si quid fortè occurrisset huiusmodi. Accedat ergo tandem ad reliqua huius loci emolumenta, istud non exiguum; quòd si auscultamus Aristoteli, fas sit intellectui humano suo se in lumine neque tantùm in phantastico collocatum videre. Quando porro, inquis,

ſanè vel nunc, reſpondebit pro Auguſtino an magis pro ſe Philoſophus; qui quidem rurſum ſi id volebat reſeruatum in futurum; quærendum eſſet protinus, non continuatæ antè an poteſt mortẽ intellectionis dubitãdo meminiſſet? Si poſt mortẽ, quo autore didicit ne continuari tunc quidẽ? ſin autem antè, quid fruſtra conſiderandam alibi cauſam ſpondet, quę ſe ex dictis ſponte offerebat & reſpondebat non interrogata, propterea vacare nos aliquando ab intelligendi officio dum hîc ſumus, quia etſi intellectus noſter poſſit aliquando tandem in eam libertatem emergere, quâ ſolutus phantaſmate ſe intueatur in ſe, toto tamẽ huius vitę tempore, his ſit aſtrictus vinculis, vt ſuî non modo commouendi vnquam, ſed ne ſemper quidem vtcunque agnoſcendi facultas ei ſit. Sed iſtud

quia D. Thomæ doctrinæ non est omni ex parte conueniens, non tam valdè vrgeo, quàm miror de cætero tot & tanta præclaræ veritatis adminicula tam breui sermone complexum esse Philosophum, vt eum idcirco non iniuriâ, quod antè memini, calamum sensu & ratione pro atramento tinxisse velint. Cæterùm, quod me hic locus admonet, demus certè testimonium peripateticum in omnes argumentationis nostræ partes.

Totius argumentationis constructio ex locis Aristotelicis fabricata.

CAPVT XII.

NEc iniucundum, opinor, nec inutile erit quod aggrediar ad probandum, tantùm abesse, vt Aristoteles de immortalitate animæ secùs existimârit; vix aut omnino nullam argumenti illius partem

tem quo eſtà nobis demonſtrata, ab ſuo ſuffragio deſertam voluiſſe. Ipſa ſibi tanquàm recitatio tabularum fidem afferet. Ordiamur à principio, & metum abſtergente ratione ipſa cum Philoſophorum principe de vita animi ſempiternâ, omnis cura noſtra in eo verſetur deinceps, vt boni ſimus, Deóque obedientes.

1. Si eſt vlla animi operatio propria, immortalis eſt animus. Ex cap. 1. lib. 1. de animâ, numero 19. quomodo Ariſtotelem habemus nunc typis regijs diſtributum ab doctiſſimo viro Guillelmo du Val Regio Profeſſore, & Doctore medico, quem lubet hoc loco interpretem ſequi digniſſimum.

2. Sed ſi intuitiua ſuî viſio neque eſt abhorrens ab animo, neque pendet ex corpore, eſt aliqua animi operatio propria. Iſtud quia vel cæci vident, nec aliud conti-

tinet quàm quod mox dicetur, aut iam dictum est tantúmque assumitur claritatis causâ aut breuitatis; quid opus in eo autoris vllius luce & testimonio vti?

3. Porrò autem intuitiua suî visio, seu ipsius in sese ablato phantasmate coniectus oculorum nec est abhorrens ab animo aut supra captum ipsius, ex cap. 5. lib. 3. de anima, num. 15. iuxta ea quæ diximus capite proximè præcedenti, cùm sibi quoque vt intelligibilia animum intelligibilem esse statuat Philosophus.

4. Nec pendet ex corpore, siue vt subiecto & organo ex tex. 92. 1. de animâ, cùm ne fingi quidem possit intellectionis organum; siue vt obiecto, cùm sit animus sibi ad videndum expositus vt intelligibilia ex illo c. 5. 3. de animâ, ac proinde nihil sit opus ipsum sibi eum in finem obijci & prę sentem sisti

in phantaſmate. Sed neque tandem viſio illa requirit opem corporis vt ſit comitatior; cùm ex eodem loco, in intellectu noſtro præſertim cùm ſe intelligit ſit intelligens cum intellecto idem etiam ante intellectionis actum, ipſe ſibi intelligibilium inſtar per ſe ſufficienter ad intelligendum ſimilis, abſq; vllâ ſpecie impreſſâ, quam ſi non cogitur adhibere, quorſum cogeretur expectare dú corpus ad eam quam ſubminiſtraſſet, actum ſuum adiungeret. Denique nullum aliud afferri poteſt operationis huius cum corpore coniunctionis vinculum neceſſarium. Ergo cùm ipſa ſit operatio animi nihil affixa corpori; eſt animi operatio propria; cúmque id ſatis ſit ad immortalitatem; ſtet illa neceſſe eſt, aut ſuâ nutet in philoſophia Ariſtoteles.

Atque id ita explicui [illegible] VII

vt Philoſophi teſtimonium euidentiſſimum cum noſtro philoſophãdi modo conciliarem; quòd ſi nunc ratione dimiſſâ, placet eius iudicio puro liquido ſtare, totóſque nos Pythagoreorum more, ad magiſtri arbitrium & nutum fingere & accommodare.

Si eſt, inquit, ex operibus animæ aliquod eius proprium, poteſt ipſa ſeparari, & ſeparata ſcilicet conſiſtere; quòd ſeparetur enim ſimpliciter, id ſub nullâ conditione ponendum eſſe quotidiana docet mortis experientia. Nota eſt porrò huius iam dicti ſedes cap. 1. lib 1. de animâ num. 19.

Rurſum ibidem numero 18. ſi intelligere quod videtur eſſe de omnibus animæ operibus longè proprijſſimum opus, phantaſia eſt aut non ſine eâ, profectò ne illud quidem proprium eſt, ſed in eo ad corpus anima tanquam admini-

Digitized by Google

culum adnititur. Sin autem & phantaſia non eſt, & ſine phantaſiâ eſſe poteſt, proprium illud eſt nec corporis egens; de quo quidem membro ſententiæ altero ſi reticuit Philoſophus; tamen par ipſi cum primo ratio facit vt illud omnes tanquam eius admittant. Pergit.

Sed neque intelligere eſt phantaſia, toto pene lib. 2. de an. nec non poteſt eſſe ſine eâ tex. illo cap. 5. 3 de an. proximè à nobis explicato, cùm poſſit anima ſeipſam intelligere ſine vllâ ſpecie impreſſâ, adeóque multò magis ſine phantaſticâ, intelligibiliū inſtar.

Ergo, inquit Philoſophus, ſi fas ipſi concludendi arte vti, quam nobis amplificatam dedit, ſeparabilis eſt anima & immortalis.

Hæccine vero eſt Ariſtotelis hac parte aut hæſitatio aut decep- tio, quam [illegible] alijs bene

multis ſuſpicatum eſſe aliquando, initio dixi ? An vero ſi de re ipſâ confiteri volumus, aliud nihil eſt, quàm quod ipſi oſcitantes hallucinamur, dum indagandæ veritati laborem neceſſarium ſubterfugimus. Faceſſant itaque non modò qui cum Pomponatio, homini ſententiam bonam tenenti, errorem ; ſed etiam qui explicatè dicenti & diſtinctè, obſcuritatem ; aut permanenti in eâ dubitationem obijciunt. Nam ſi quid etiam ex eodem preſſius ac diſertius audire animi cauſâ lubet.

Sub illam tantummodo propoſitionem ex 1. de an. ſi eſt animæ operatio aliqua propria ac ſua, nihílque habens commune cum corpore, immortalis eſt anima. Subiungenda eſt hæc ex cap. 3. lib. 2. de generat. animal. Sed eſt aliqua huiuſmodi Nihil enim, inquit eo loci, cum actione animæ

ratione prædictę, commune est actioni corporis. Ergo immortalis est anima.

Quid hîc respondet aduersarius Philosopho? hunc enim sermonẽ totidem penè verbis ex ipso transtuli. Eritne vlla rationis aut conclusionis reprehensio? Assentitur, vt video, tantúmque submolestum sibi esse ait, quòd hæc in partem huius operis primam minimè coniecerim, quo loco autoritatis Philosophicæ contentio tractabatur. Atenim id si te moratur vnicum, da veniam obsęcro, mi homo quisquis-es, iámque vt noster sis, cogita te istud totum illic legere, quod hîc propterea collocatum malui vt intelligeres beneficio tuo limatam esse veritatem hanc in disputatione litigiosâ paulò etiam subtiliùs.

PARTICVLA TERTIA.

IN hoc quartæ partis, ac totius velut corporis membro vltimo vt fidem meam pleniùs liberem; concluſam ac demonſtratam ex ratione & Ariſtotele immortalitatem placet contra aduerſariorum nouantiquos impetus ita propugnare; vt principiò quâ parte concluſio noſtra eſt, ſeu connexa ex principijs noſtris; tum defendatur quâ ſimplex eſt, vt loquimur omnium propoſitio. Ac ſanè etſi laborem vtrumque poſſem nunc iure deprecari; illum quidem quaſi iam eo perfunctus, particulâ primâ & ſecundâ; hunc verò quod eum abundè mihi præſtare videãtur populi & nationes omnes; vt cùm ea iecerim fundamenta, in quibus rectè conſtitui oſtendam præcelſam illam æternæ ac inuio-

latæ veritatis velut facem ac columnam; si quis eam aliunde pusio attentet aut magnus nebulo, iam non mihi priuatim, sed toti incumbat hominum generi, vt quam omnes boni ac sapientes sanciunt, eam legẽ ne vnus refigat aut alter de improborum ac stultorum numero. Tamen ne quid ab vllo in ea re desiderari possit; quam par est omnibus desideratissimam esse, teneamus porrò cursum institutum.

Obijcitur primò, quòd vnica operatio propria nequeat animam separabilem ostendere, quam multæ communes inseparabilẽ ostendant.

CAPVT I.

HOc cùm dixit Pomponatius, circũspicit se, & parùm abest quin de theatro nescio quod ex

κακῶς, ſibi petat in magnâ Græciâ occini. Atenim niſi errorem emẽdâſſes, vt te contrà hoc nomine mactarem opprobrijs bone vir. Nunc cùm amicus es, amicè ac beneuolè. Triplex, ais, cùm ſit facultas animæ, vegetatiua, ſenſitiua, & intellectiua, cur non potiùs eam morte damnent primæ duæ, quarum nullus eſt vſus extra corpus, quàm liberet tertia, vt ſit eius vſus poſt fatum liber? cur non dicitur à duabus primis mortalis, potiùs quàm ab vnicâ tertiâ immortalis? Hoc quæris? Quæro viciſſim ego, niſi moleſtum eſt. Mantuæ in patriâ tuâ non poteras olim homo vtique ingenuus, niſi ad vnam & paternam accumbere menſam cum honore quotidie. Poteras extra patriam ad plures in tabernis pluribus, cùm peregrinabaris in alienâ ciuitate. Ergóne non vir honeſtus ab domo tuâ vni-

cã, ſed tabernarum dicendus eras incola ab tectis alienis, quę tibi patebant plurima? aut dum peregrinator eras, quia ſubinde mutata habebas ædificia, etſi communia, dicendúſne fueris non potuiſſe habitare apud te domî tuæ, quã poſſideres vnicam. Apage, inquis; at profectò intellectio eſt menti humanæ inſtar vnius quidem, ſed propriæ, ſed paternæ domûs, aut menſæ in qua veſcitur cibo veritatis delicatiſſimo; functiones verò aut organa ſeu ſenſuum ſeu vitę illius quam habemus communem cum plantis, tabernarum inſtar habent in quibus qui domicilium collocat, degenerat. Ergo vt tibi honeſtatem, illi autem immortalitatem ex proprio vel vno, ſine vendicari, ſpretis communibus non paucis; nec ſi eam vis morbi, aut alia temporum iniuria, velut accommodato corporis hoſpitio

te proficiſci cœperit, nulla eam vis niſi diuina, nullus rerum humanarum caſus poſſit deturbare. Atenim cum ſe nudatam videbit à corpore, quàm acerbum ei erit & luctuoſum antiquæ hæreditatis deſiderium? ſed quod longè faciliùs conſoletur, quàm ſi ſimul omnibus carendum ſibi eſſe intelligat; quanquam iſtud quia iam aliò pertinet, dimittamus cum hoc dicto. Naturæ fuit & ſapientis & cautæ, vt de bonis multis, ſi minùs poſſet plura, vnum ſeruaret ídque optimum: Plurium enim amiſſionem neceſſariam cùm impeditura non eſſet vitæ perennitas animę conceſſa; erat vnius certè conſeruationem omnibus modis exquirédam impeditura impoſita mortis neceſſitas.

Obijcitur ſecundò de petitione principij, num qua hîc ineſſe videatur.

Caput II.

ENimuero, inſtat ſubacutè nõnemo, qui ex eâ operatione animæ immortalitatem eius repetit, quam ei fateatur permiſſam non eſſe in corpore, is nonne videtur petere principium? Profectò, ſed quod hoc ipſo probat, ac proinde tantùm abeſt vt vitio petat aut precariò, vt potiùs pro iure ſuo debitum exigat. Id verò quòd ita ſit vt eſſe reſpondeo affirmatè, non vt tu ſciſcitaris hæſitanter, quiſquis es monitor certè opportunus, quadrupliciter oſtendo, indéque rem totam exquiſitâ ratione confirmo. Quæſtio eſt in Philoſophia ſatis ambigua: Sphæra ignis num vacet ab igne. Siquis propterea non vacare contendat, quia

cùm ibi fuerit ignis, commodiſſimè erit; is profectò non petet ingratijs ſibi concedi quòd ibi ſit, ſed ex commoditate ad exiſtendũ ibi exiſtere palàm faciet; quantũuis commoditas porrò illa non hic in noſtro igne, ſed illic tantum in ſphęrico notari poſſit. De tempore pariter quod mortem hominis conſequitur ſi quærimus inter nos, limandæ veritatis cauſâ, num in eo perſiſtat anima; ego verô idcirco perſiſtere velim, quia tempus illud eſt peropportunum animæ ad opus eius eximiũ aliquod; etſi opportunitas illa in illud tantùm tempus conueniat, non item in iſtud quod hîc in corpore ponimus; haud dubiè non de immortalitate animę mihi quidem ab aduerſario ſine cauſâ concedi volo, ſed accuratè & dilucidè argumentationem conficio, ſi modò ab opere illo eximio animam

non esse abhorrentem absolutè demonstro ; fusè autem demonstraui, cùm de visione suî clarâ in eam sententiam disputaui, vt non esset aut superior animâ aut subiecta corpori. Secundò, vt ab exemplo ad principium vniuersalius transeam, quod in omni disputatione locum habeat. In exquirendâ rerum naturâ, nonne hanc viam sequuntur omnes, quã certam putant nec longam ; vt id de quo dubitatur an tale sit, postquam tale esse ex consulto posuerint, tum se arbitrentur ostendisse quòd tale sit aut non, cùm se si tale sit præclarè habuerit vel contrà. Ergo de animâ cùm quæritur an sit eiusmodi vt extra corpus sibi constet : si fortè tibi videor postulare vt eiusmodi esse statuatur interea dum ostendam præclarè cũ eâ hoc modo actum iri, hoc est, non defore quod agat ; quid est in

o incom-

eo incommodè, imò quid non neceſſariò admittendum? vt ea ſubſtantia conſtet ſolitaria ac ſeparata, ſi eo in ſtatu actionis ſuæ facultatem habitura ſit; de quâ nemo an ſic conſtet dubitare poſſit, niſi idem ei metuat ab ſolitudine illâ inertiſſimum otium ac deſidioſiſſimum. Atque adeo vt illud tertio loco addam, quod ſe hinc aperit, éſtque ad totius rei ſummam mirificè accommodatũ, quis mihi ad hunc locum intercludet aditum? cùm ita argumentari cœpero. Nihil quidquam eſt in rerum naturâ, quin ſuos veluti fines tueatur ab incurſionibus hoſtium, ſéque tandiu ſuſtentet, dum actionis ſuæ liberæ & vacuæ facultatem habet; & ſi quid vllo caſu ſuccumbit cedítque fortunæ aut potiùs corruptioni, cùm ita natum ſit, vt perpetuum ac ſempiternum non ſit; id certè vſque eò permanet,

quoad virtus omnis quâ pollet ad agendum debilitata fuerit & fracta: quippe cùm nihil aptius esse potuerit ad ius conditionémque naturæ; quorsum enim res vlla aut tunc locum suum tenere velit in mundo, cùm nihil est quod agat, aut deserere, cùm est aliquid? quãdo omnibus propositum est vt agant. Nonne hoc pacto plantæ omnes aut arbores, ipsique animantes toto illo tempore in vitâ commorantur, quo vitalis est ipsa, vt aiebat Ennius; hoc est, quo vitæ munere defũgi possunt aliquo; vt autẽ non possunt omninò, statim eã velut infructuosam deponũt. Similiter ergo nos homines tunc fas quidẽ erit, imò necesse è statione vitæ non modò huius sed omnis profectò decedere, cùm nihil erit ad vllius rationem pertinens, quod vlla parte nostrâ præstare possimus; tandiu autem nefas dũ

illud tempus inciderit. At illud profectò tempus nunquam incidet, ſi ſuæ ſunt animę noſtrę etiam à morte intelligendi partes aliquæ; hęc enim eſt vita omnium excellentiſſima, quæ intellectu ducitur. Quod ergo dicebam, hoc ſanè probabam opportunè; oportere nos minimè morituram vnquam animam poſſidere quandoquidem ad actionem ſuam, ſuîque viſionem in primis ſemper expedita ei ſunt omnia, nec vllus vnquam caſus ferre poterit, vt ad intelligendum ſaltem aliquid, minùs quàm par ſit videatur aliquando eſſe inſtructa. Quartò denique; vt iam inde ab incunabulis mundi cùm ſparſi per terram animantes ductore carebant nondum creato homine, ſi exorta fuiſſet inter Angelos controuerſia; vtrum ad ſenſum animalium poſſet accedere ratio, indéque homo fieri,

cuius adhuc consilium fortè ignorabant; qui propterea posse affirmâsset, quod illa coniunctio ad intelligendum ex phantasmate habitura esset vtilitatis plurimum; is illo in cœtu grauissimo haud dubiè visus esset rem probare, non eius petere principium. Sic neque hoc certè vitio magis laborare dicenda est disputatio nostra; vtrobique enim, de quo quæritur an sit; homo possibilis, & separabilis anima; id ex eo arguitur esse, quod sit, non iam prius ipso, sed ipsi, cũ iam erit, ad naturæ incolumitatem & perfectionem aptum futurum ac consentaneum. Si intellectus cum sensu copuletur, poterit ex eo philosophari homo; dixisset Angelus ille. Ego verò cùm dico. Si separetur & consistat sine corpore anima, poterit suî contemplatione gaudere. Nonne separabilem animã concludo, itẽ ac ille

possibilé hominẽ? quàm enim necesse est partes naturæ varias posse concurrere in vnam essentiam, si quod inde opus nouum queat existere; tam ἀδύνατον, deesse sibi naturam vllam, quin suum locum seruet ac gradum, quandiu alicuius operis potestatem habet integrá. Ac de cætero, vt contemplatio illa ex qua separabilitatem eruo, fortè non est nunc re ipsa in animâ coniunctâ, sed tantùm ostenditur esse posse in separatâ: sic quo tollitur hinc admiratio omnis, illa ex sensu philosophia & commentatio nondum creato homine non fuisset certè, sed tantum ei qui crearetur non repugnare ostendisset naturæ nostræ non inuentor, sed probator Angelus. Denique si cùm disputemus de animâ, vtrum possit esse posse sinecorpore; & contendam téque non repugnante probem, si

modò ſine eo opus aliquod ab eâ poſſit expectari, ac deinde expectari poſſe conuincam; id, inquam ſi non eſt demonſtrare rem; hæc ſi vocatur petitio principij; quæ poteſt tandem eſſe vllâ in re manifeſta probatio? Nimirum ſi non tantùm poſthac, ſed etiam nunc argueretur anima poſſe opus illud edere ſine conſorte. Egregiè. Hoc eſt, ac ſi velles eam non modò poſt tẽpus aliquod, ſed & hoc interim ſpatio, dum eſt in corpore, extra illud eſſe. Nam ſi ſatis eſſe putas, quòd ei conueniat iam nunc ſeorſim ſubſiſtendi poteſtas ſuo tempore vſu ventura; quidni ſimiliter contentus es à me poteſtate ſeorſim agendi cum tempus erit, quã ei iam nunc attribuendam eſſe cogo. Quamobrem nutu ſuo ac pondere ſtet, quamdiu nihil aliud proferetur, perennitatis in animam ex ſuis fontibus ac prin-

cipijs propriè ac verè facta deriuatio, quam siue iratus siue exoratus perturbare nequeat aut impedire aduersarius. Nunc si aquas ipsas tentare lubet.

Obijcitur tertiò de brutarum animantium aliquarum conditione & dignitate nihilo si fas nobis inferiore.

CAPVT. III.

QVibusdam hominibus tam arcta est cum carne coniunctio, vt bestiarum postquam eis concesseris nihil à morte superesse solitarium, malint cum illis adnumerari, quàm sine corpore aliquâ suî parte aliquando ad viuendum adigi. Oppositus est illorum huiusmodi; Belluis omnia simul haud dubiè cum corpore intereũt: quid ergo aut quam partem hominis ab interitu illo vniuersali

vendicare fas est? Rationem scilicet, ac discursum. At quæ maior rationis & discursûs vis quá quę in cane venatico cernitur dũ feræ vestigia odoratu probè iudicata & supensa nare perpẽsa tandé iudiciosè legit, nec fallitur insectando, & prædá capit si pedibus valet? quæ superior aut etiam æqualis cum industria apum in condendo melle; hirundinum in constituendo, Alcyonum in substernendo molliter nido? quid non lucet ingenij in simiâ, memoriæ in psittaco, diligentiæ ac studij aut prudentię in belluâ indicâ? Estne vllâ in arte vlliús tyronis labor maiori laude dignus, quàm illius elephanti quem referunt ad lunæ splendorem, opinor & concentum astrorum olim sub noctem reuocâsse in vsum de saltando quod erat per diem edoctus à magistro? Hæc & sexcenta his similia, de quibus re-

ferti ſunt libri bene multi, ſi arbitramur poſſe ſic ab his animantibus proficiſci, vt nihil ſit opus in eis tam arduam ac ſublimem rationem inuenire, quam à morte depaſci natura vetuerit; quid blãdimur nobis, inquiunt, & vix rebus geſtis cum his conferendi, actionum noſtrarum principium in mente noſtrâ fingimus immortale aut ſomniamus? Aduerſus hanc hoſtium mainum triplex eſt mihi reſiſtendi via. Prima, vt eos inſtrumento & cautione ſolemni quòd huic procurationi à beſtiarũ Republicâ prẹfecti ſint antè iubeã oſtendere, quàm reſponſum expectare poſſint; tũ enim certè arbitrabimur inducias nobis fore cũ belluis, cùm procuratoribus earum communiter conſtitutis rationes noſtras probauerimus: ſin autem vnius clamore refutato, grunniret alia aut mugiret. Alte-

ra eſt, vt ſi tantus amor, tanta apud iſtos homines eſt certorum animantium veneratio & admiratio ſuam cum eis potiùs immortalitatem communicent, quàm ad eorum vitæ breuitatem malè dilabantur ipſi. Profectò enim ſi quid eſt in beſtijs humani, ſatius eſt id hominum honore afficere, quàm ſuis homines ſpoliare ornamentis. Neque verò rationis operi quam oſtendimus eſſe cum ſecretione à materia adeóque cum immortalitate affinitatem, ea minùs homini conſtat, ſi fortè reperitur extra hominem. Eſto, ne te fruſtra torqueas. Si videtur ſimia aut elephantus ſine corpore ſaltare poſſe, aut geſtu ſcenico riſum excitare, expecta dum ſimul cum eis æternitatem ſpires. At ſcripturarum, inquis, ſunt in contrarium teſtimonia. Audio. Religioſus es, & ſacris codicibus fidem habes.

Obſecro, ne dimidiatam ; fidem enim pariter faciunt ſcripturæ, quòd præſtet homo dignitate brutis ; præſtantiam autem illam ipſe fateberis, nihil eſſe quo tueri poſſimus, ſi parem eis nobiſcum intelligentiá conceſſerimus. Nam ſi diſparilis eſt: hæc mea certè eſt reſponſio omnium optima. Tunc cùm ſuas nobis beſtiæ de immortalitate ipſa, de rationis obſeruato in hominibus acumine, de ſeiunctione à materiâ & ſimilibus lucubrationes ediderint, quales ipſi contrà proferimus, in confeſſu noſtro ſedem reperturas: quandiu vt fecêre hactenus imitationis noſtræ vmbratilem dumtaxat ſequentur effigiem, nec in notitiarum regno plus habebunt loci quàm à ſenſu acceperint, ne fines noſtros inuadant prouiſum eſſe diligenter à naturâ; nec quidquá nobis in metu fore ne aut immor-

talitatis noſtrę partem obtineant, aut in ſuæ ſortis deſperationem nos vocent. Pudeat verò tutores beſtiarum egregios, pudeat certè ſuæ aut præuaricationis aut ſtupiditatis, cùm non intelligunt, vel diſſimulant hæc illa quæ laudant in clientibus ſuis non intelligentis animi ſigna ſed eius naturæ notas eſſe, quæ cùm humanam ſequatur quamuis longo proxima interuallo, in eius tamen non quidem veſtigia, ſed veſtigiorum vmbram tam ſubtiliter incurrit, vt quod accidit in omni diuerſarum rerum diſpoſitione, difficilis ſit aliquando ad diſtinguendum ſimilitudo antecedentium proximè & conſequentium. Infimum ſupremi, melius eſſe ſupremo infimi, omnes quidem Magno Dionyſio aſſentimur; non tamen arbitramur tantum eſſe vtriuſque diſcrimen, neminem vt fallere poſſit affinitas.

Obijcitur quartò ex his quę apparent in ſtatu vnionis.

CAPVT IV.

NImis fortè iam diu nos belli tenet contentio; & ipſis, ni fallor, aduerſarijs ſponte arma concidunt, quæ contra rationem ſtrinxiſſe pœnitet. Ergo ne diutiùs in caſtris ſuauiſſimum pacis nomen deſiderari ſinam; faciá deinceps vt quæ ſuperſunt nondum fortè coniecta tela, ſub ſtyli noſtri ſic tanquam haſtæ aut gladij oppoſiti acumen raptim ſuccedant ac confertim, & ſine ictu hebetata concidant. Cur, inquiũt, ſi immortalis eſt ratio toties à ſenſu vincitur. Reſpondeo, quia ſuis eum armis ipſa ad vulnus quod amat, malè ſana inſtruit, & ſponte in apertam perniciem præcipitat. Rurſum. quod poſſet eſſe tam

arctũ ſubſtantiæ immortalis cum materiali vinculum coniunctionis, quàm arctum experimur animam inter & corpus? Certè, quale inſtitutum eſt paſſim à natura; vt inferiores rerum gradus ſubſeruiant ſuperioribus, cúmque ijs communiter nouum conſtituant ornamenti genus in vniuerſo mũdo, cuius eſt pulchritudo omnis ex ſuarum partium diuerſitate comparata. At qui, inſtant acriùs & vrgent plus plúſque. Anima hominis etiam quâ parte eſt intelligens, anima eſt, hoc eſt, actus corporis organici etiam vt ſic, vt in intelligendi actum prorumpit, qui proinde debet ipſe quoque ſuum informare organum; id quod ſi ſemel admittitur, euaneſcit ſpes immortalitatis omnis, vt fatemur ipſi. Omninò ſi admittitur; ſed propterea admitti non debet intellectio organica, qualem

nullam eſſe multis antè oſtendimus, quia quod hîc affertur de definitione animæ conueniente noſtræ quoque quâ intelligens eſt, id ita diſtinguẽdum eſt; vt de ſubſtantiâ verum ſit, de actione falſum; Neque enim ſi ſubſtantia animæ intelligentis recipi habet in ſubiecto organico cùm forma ſit viuentis, neceſſe eſt aliud ab ipſâ actioni eius omni ſubſterni ſubiectum, cùm ratio accidentis conſeruetur abundè in actione ipſius modò recipiatur in ipſa; ratio autẽ formæ viuentis non conſeruetur in eâ, niſi in ſubiecto recipi poſſit organico; de poteſtate dixi nõ de facto, quia ſolam poteſtatẽ, non item factum definitio vel animæ requirit in eâ, vel ſui generis in alijs; in quibus obſeruari poteſt ab eruditis quòd quas vocant eſſentias, cum poteſtate eorum quæ complexu ſuo coercent coniunctę

ſemper ſint; cum re ipſa, aut facto, aut actu, non ſemper; quâ quidē ratione fit, vt poſita extra corpus anima cum actuandi poteſtate ſolâ rationem ſemper poſſideat animæ ac formæ viuentis. Obſtrepunt adhuc, ſibi an mihi, ipſi viderint. Si intellectio humana eſſet organica, mens humana mortalis eſſet. Opinor, quia nihil ei reſtaret poſt mortem operis. Ergo etiã ſi ipſa eſt organica. At illud profectò non eſt conſequens; quamuis enim ipſa ſit organica, hoc eſt principium actionum, aliquarum ad quas non ſatis ſit per ſe ſine corpore inſtructa; ijſque proinde ſuſcipiendis ſeſe in corpus inſinuet; poteſt tamen alias etiam actiones ſibi vendicare, in quibus, nihil requiſitâ corporis ope, diſcedens ab eo tempus ſuum ponat, & ſit immortalis. Si autem intellectio eſſet ipſa organica, iam

nihil

nil habentẽ tale, iuberet eam natura perire cum corpore ne eſſet otioſa. Cæterùm vt omnis tollatur erroris occaſio; ne iſtud quidem cum hac exceptione aut diſtinctione neceſſitatem vllam habere contendo, de animâ intelligente quòd in eam quadret animæ definitio, quâ parte intelligens eſt præcisè, vel quoad ſubſtantiam; non quò ea quæ intelligens eſt non ſit vera hominis forma, ſed quòd intellectionis præciſæ gratiâ id ei collatum non ſit à naturâ. Et verò ſi quæ foret tantùm intelligens, nihil coniunctum habens cum ſenſu aut vitâ plantæ, haud quaquam vlla foret huiuſmodi ſubſtantia in numero formarum, aut actuum corporis organici. Atque ita ſatis eſt ad veram rationẽ hominis, quòd formam habeat intelligentem, eámque quæ talis ſit, verè informantem, etſi non

quâ talis eſt præciſè & ſolitariè omnino. Nam ſi quis de cętero in ſinum corporis humani tres ipſas non modò ratione ſed etiam re diuerſas animas includere volet; huic fas erit dicere, quòd de illis tribus quę intelligens eſt informet quidem, non quâ ſimpliciter talis eſt, ſed cùm ipſa alijs moderari & pręeſſe poſſit, ac opem ferre aliquam: cuiuſmodi munus ſi nullum habitura fuiſſet, nec in huiuſmodi vincula fruſtrà conieciſſet eam plena ſapientiæ natura. Verum quod cœptum eſt obijci de organo, vt perducatur ad exitum, faciamus id tandem per otium.

Obijcitur quintò identidem ac nominatim ab intellectionis organo.

Caput V.

ENimuero, inquiunt, quòd habet Ariſtoteles nóſque ex

eo ſupra retulimus ne fingi quidé poſſe quod ſit intellectûs organú, cú nullum deprehendat anatomia in corpore humano, quin eiuſdé-modi videas in belluâ, haud quaquã probet nullũ eſſe; quia quemadmodum in artefactis ínque naturæ operibus idem inſtrumentũ varia & longè diuerſa præſtat pro varietate vtentium: ita fieri poteit vt eadem verbi cauſâ ſubſtantia cerebri, ſubſidio ſit animæ humanæ & excellentiori ad intelligendum & ratiocinandum, quæ animam animantis deteriori conditione natæ tantùm iuuet ad imaginandum. Deinde nonne argumẽto eſt euidenti huiuſce organi, quòd aliquo intùs corrupto, vt loquitur philoſophus, vacillet in nobis ratio; id enim cum euenit, euenit au tẽ nimis crebrò, quid aliud putemus eſſe cauſæ, quàm quòd intellectûs organum vitio laboret

aliquo & defectu ; quæ eadem etiam est ratio, cur purgatio cerebri ingenium limet ac iudicium, quo pacto artifex postquam serâ acuit aut Securim, opus edit longè perfectius. Denique hinc est quod pro variâ temperatione humorũ bonáque aut malâ dispositione corporis nunc viget, nunc langueſcit eiusdem hominis in iudicando facultas, quæ alioqui suî similis semper esse deberet. Hac tricipiti machinâ ne quid videatur labefactari veritas, primum quidem sic ei caput amputo. Bene philosophatur quisquis negat in naturâ esse id cuius nullum in eâ vestigium reperit; nam qui contrà asserat ei iam ad diuinandi artem confugiendum est: hinc fit vt organum intellectionis quia nullum proprium extat, per bene Philosophus neget vllum esse. At si quod, inquis, est commune. Si,

inquis, hoc iam diuinare eſt; vt illud omittam, tum de artis & naturæ inſtrumentis, in quibus poſſim oſtendere, nullum eſſe opus egregium, quin ſuum ac proprium ſibi vendicet organũ aliquod; tũ etiam de animâ ſenſitiuâ, cui cũ ad ſenſus ſingulos ſingulare aliquod opus in ſuâ ac propria parte corporis fabricata ſit & architectata natura, neque quidquam ſimile animæ intelligenti ad intellectionẽ procurarit, quid poteſt æquiùs dici? quã quòd intellectio ne in homine quidem alligata ſit ad corpus & organum, quam intelligimus aliunde extra hominem paſſim ac liberè ſolutam quaſi volitare. Denique nego hanc eſſe cõmunicationem organi, quam tu hîc fingis; ſi à me inſuper probationem vis & cauſam cur ea non ſit, repete quam ſuo loco ſupra attuli. Iam vt ſecundum caput aggrediar. Imbe-

cillitas mentis quæ profertur in eo, si potest commodè alio referri quàm ad læsionem organi intellectûs proprij: haud dubiè non est is effectus eiusmodi in quo illius causæ vis deprehendi possit & existentia. Atqui potest aliò commodè, vt pote ad læsionem organorũ sensûs interni. Est ea, vt iam dixi, & ostendi, mentis coniunctæ cum corpore indoles, vt quandiu illo versatur velut in carcere, neque in omnibus ad quæ nata est, vires suas exercere, neque vbi exerçet, appositę imaginationis auxilio carere possit, & ope cõsentiente; quã si quãdo illa morbo aliquo præpedita ferre neget, cessat actio mentis & se quasi continet domî Regina delicata, cui abest famulæ comitatus. Respondes posse quidem istud esse causæ, posse tamen & illud aliud quod afferebas de organo & à me reiectum est: virum

autem ſit quis dicat ? Ego certè iſtud non illud eſſe dixi & oſtendi tum hîc , tum ſuprà ; tamen ne quid morosè. Egregiè. quando id per te nemo poteſt dicere niſi diuinando, deſeratur hic locus; & quoniam hac ſuſpicione & coniectură vnicâ coarguitur organica ratio humani intellectûs, ne afferatur omninò , quod in contrarias partes ex æquo trahi poſſe , & ad diſputandum quàm ad veritatem eruendam plus valere fateris ipſe, ego vero ne moleſtus ſim, non magnoperè pugno. Porrò autem cum id conuenerit , veniat quoque in mentem illud ; de argumentatione meâ vt hæc ratio detrahi poſſit, plures tamen alias relinqui grauiſſimas , quibus de ratione intellectùs inorganicâ cõfecta mihi res eſt iam antè ; tibi autem cùm erepta fuerit, vt ſponte fateris inutilem, nihil ſupereſſe,

quo organi huius, non ſolidam naturam, quæ nulla eſt, ſed ne vmbram quidem aut imaginem poſſis impetrare. Nam ſi mea de cætero fulcienda eſt coniectura, ſi audendum vlterius aliquid. De eo qui mente captus eſt, de infante puero quid vetat opinari, imò quid non iubet confirmare, quòd ſalua ſint eis & intacta omnia quęcunque ad rationem ac iudicium pertinent; tantúmque ne ſe prodat, aut ſuum ad nos lumen egregius ille Sol ac ſuo è cœlo ſerenus effundat, impedimento eſſe neſcio quam ei ab imaginationis ſic tanquam terræ aut humoribus, aut tumoribus, aut vitijs alijs affuſam caliginem. Quis phœbi facem neſcit hoc etiá aëre pingui & concreto nitidam eſſe ac puram. Non ita nati ſumus, vt cogitationes mentis conferre poſſimus inter nos, ſine interprete ſenſu;

qui ſi vitioſus fuerit aliquando & corruptus ; ac tunc quæ obſeruamus in eo peccata , deriuare velimus in vitioſitatem & corruptionem rationis , idem erit profectò peccatum noſtrum , ac eorum qui in Legatũ ignorãtis aut perfidi internuntij culpã conferri tunc vellent cũ alia omnia quã quæ iuſſus eſſet , explicâret aut iniuſſus loqueretur. Vitiatam ergo in homine rationem cùm dicimus eſſe vitium illud eſt , non ipſius in ſe, aut in organis proprijs , ſed in ijs per quæ interim ſua ſenſa foràs dat, dum hoc moratur in carcere. Sed hęc hactenus , quę iam ſupra fuſius in tertiâ parte. Nunc quod reſtat de temperatione corporis , cuius ſubinde velut arbitrium in iudicando ſequimur, & eum colorem rebus tribuimus , quo habemus imbutos oculos; id ne quid nobis officiat , præſidio eſt, quòd

hoc ſit voluntarium aliquorum peccatum, non natura omnium, quo ſe non pauci ſapientes expediunt; quódque vt pertineret ad omnes, ad ſummum, ſummæ illius neceſſitudinis vinculum manifeſtaret, quod intercedit menti cum carne, cœlo cum terrâ, quandiu ei vacat.

Obiicitur ſextò, ab ſtatu velut intermedio nec vnionis, nec ſeparationis.

Caput VI.

SCio nullum eſſe temporis punctum, quo puncto temporis animus noſter non ſit extra corpus aut intra; poteſt tamen ipſe cogitatione ſuâ aliquid huiuſmodi fingere, quò non incommodè referri poſſit qui ſequitur aduerſariorum impetus, cùm dicunt.

Animus hominis eſt hoc aliquid ex ſe ſeu ſubſtantia completa, aut non eſt. Si eſſe dicitur, quomodo vnum per ſe, vt vocant, vnà cum corpore conſtituit ? Si negatur, quomodo ſuis poterit niti pedibus cùm hinc euolârit ? Aut ergo quod ille ſomniabat, nunc omnes ad vnum fugiunt dicere, erit anima in hoc vaſculo, vt nauarchus in cymbâ, quo nullum eſſe poteſt tetrius ac fœdius fidei & veritatis naufragium; aut quod ſupereſt effugium, eiectæ ad littus ac miſeræ, mortis etiam ſi voles, beneficio fabricanda erit alia nauicula, in quam impoſita æternitatis pelagus longè profundius tranſmittat; hanc verò claſſem in tantâ commigrantium quotidie multitudine qui ornare poſſit vix erit fortè ex omnibus vnus. Ita illi, cum quibus ſi iocari luberet & par pari reddere. Rogarem ipſe numquid

auditum ipſis de aue illâ Paradiſiciâ, quam referunt ſine pedibus quidem eſſe & inceſſu caſſam, at volatu eximiam; hanc ſi quis putet in ſublimi aëris parte ægrè ſpiritum ducere propterea quia pedem non habet, quem vllo in fundo ponat, nonne riſum moueat? quaſi verò id ei conferre nequeant alæ explicatæ in regione ſuâ, quod nobis in noſtrâ dant pedes in latum porrecti. Faceti homines ingenij. Pro animo decedente è ſtatione corporis ne quo caſu ruat in nihilum, non ſine curâ ſunt & metu, quia pedes in eo non vident, cùm tamen alas videant & auolare dicant. Verùm ad rem, & iam. *Hi ludi ſeria ducant.*

Hoc aliquid & ſubſtantia completa ſi illud eſſe dicitur, quod ſuâ vi ſine conſortio partis alterius, poſſit naturaliter nomen ſuum obtinere, ſibíque in hac rerum

vniuerſitate ſine adminiculo conſtare tandem aliquando ; Hoc aliquid profecto ſubſtantiáque completa conuenit menti noſtrę vt ſit neque propterea abhorret ab eâ ratio partis, magis quàm ab ipſo corpore, quod conſtat partem eſſe viuentis, ſic tamen vt poſſit ſine conſortio animæ ſibi conſtare & in numero rerum etiam tunc eſſe, cùm ſpoliatum eſt & denudatum ab eâ : idque ad tempus bene longum, vt fit in lignis illis quæ incorruptè perſeuerant & integrè in ædificiorum ornatu, aut cinctu neceſſario : Nonne hæc antè quã è ſylua in vſus humanos excideré-tur, ſui generis viuam conſtituebant arborem vnà cum animâ: poſteriùs autem permanent mortua: neque enim, opinione multorum, nouæ vllius formæ acceſſionem ſibi faciunt: quidni igitur ſimile aliquid imo excellen-

tius fiat in animo noſtro ; vt cùm incluſus eſt corpore, extet ab eo homo ſuis omnibus numeris abſolutus: tunc autem cùm erit excluſus , apud ſe habitet : neque enim profectò ornamento minùs illuſtri vniuerſitati rerum fuerit, illius , ſuî ac autoris omnium contemplationi per tempus æternum affixus, vt ne reuertatur vnquam ad corpus, quam facultatem à natura non habet, quàm domus cedrina aut cupreſſina. At ſi ſe ipſe ſuſtinere poteſt,& æternitatis ſpatia immutabilia ſine corpore aggredi, quorſum ei ad tam breue vitę curriculum copulatur? Nimirum propter ſenſus fruendos, vt toties reſpondi, éxque illâ fruitione notitias rerum plurimas in ſe imprimendas, quarum ſit vſus à morte non modicus: & vt nullus eſſet, non malè tamen tempus illud poneret, dum ab eo ſaltem

animante , agnoſceretur Deus Opt. Max. à quo omnes reliqui continerentur animantes Sed hæc iam videor fuſiùs quàm par ſit, conſequi. Habet hoc natura, vt cùm ad actionem ſua omnia ſic tanquam ad finem referat : ſi quarum rerum coniunctione nouum oriatur agendi genus, has res ſolita ſit coniungere, quamuis de cætero poſſent aliquid ſingulæ ſeorſim efficere: quo pacto intellectionem ex phantaſmate ſpectauit nominatim, cùm animum rationis compotem, quíque de cætero poſſet ſolitarius vitam agere non iniucundam, cum corpore tamẽ fecit vt ad annos aliquot ſociaret in terris. Porrò autem hæc ſi corroborare velim argumento naturæ ſuperioris: poſſem ex Incarnatione verbi iſtud deſumere. Si Humanitas Sancta quãtumuis naturâ ſuâ apta ad ſe ſuis fulcien-

dam viribus in ſubſiſtendo, potuit tamen fieri vnũ cum Verbo ſubſiſtens; quidni animus noſter cùm poſſit ſuis quaſi neruis ad exiſtendum ſine corpore conniti, fiat vnum cum eo naturæ complexione: certè difficilius eſt compleri aliunde & perfici in eo genere, cuius abſolutionem ex te habere queas; quàm cùm perfectus ſis naturâ in vno, perfectionem extrà accipere in alio; faciliùs ergo mẽs humana ſuis ad ſubſiſtendum viribus contenta, perfectionem accipiat à corpore, entis naturalis, quo in genere non eſt ex ſe abſoluta; quàm humanitas naturâ ſuâ ad ſubſiſtendum nihil extra ſe requirens, per aliud tamen reuerà ſubſiſtat. Nam ſi ex hac ſupernaturali vnione conſequuntur actiones Theandricæ, propter quas æquũ fuit, eius poteſtatem autori naturæ permitti: pariter ex illâ naturali actio-

liactiones humanæ. Atque hæc; *Si parua licet componere magnis.*

Obiicitur septimò statu dissolutionis seu separationis animæ.

Caput VII.

Etsi vereor ne verbositatem meam aliquis increpet, tanquam receptui signum, & reuocationem à bello nolim æquis auribus audire, hanc tamen dimicationem extremam vix possum honestè defugere; faciam autem si potero vt concisa disputatio fuisse videatur. Interrogant ergo ita primò. Seiunctus à corpore animus speciebus antè acquisitis vtetur an non? vt lubet sanè, quidquid antè dixerimus. Tantùm si vti dixeris, addes illas esse eiusmodi, quas nequeat quidem vsurpare in corpore animus nisi excitante aut excitato phantasmate, possit autem

extrà, cùm ſua ſcilicet iura omnia obtinuerit ſolutus ac liber; ſi negaueris, alterutrum ſubiunges; aut ſuam animo ſubſtantiam inſtar eſſe ſpeculi, in quo omnia vtcúnque cernat; aut eorum quæ ſub ſenſum ei antè cadebant, exigente naturâ, infundi à Deo ſpecies nouas; tuum porrò non eſſe de duobus vtrum eueniat edicere; quémadmodum neque, vt ſuprà indicaui, in multis alijs neceſſe eſt cui res ipſa conſtet, conditiones rei omnes apertas eſſe ac manifeſtas. Nonne definiunt tam multa Philoſophi, ipſo etiam oculorum iudicio, vt de motu cœlorum, de raritate faciendâ & denſitate, de proiectis, de huiuſmodi alijs quæ longum ſit dicere, quæque cum fieri reapſe audieris ex eis, reliqua plus ſuſpicionis habeant quàm certitudinis. Scimus ergo nunc certò ac volentibus ſuis vti oculis

ſeparati animi ſtatũ patefacimus vltrò; cuius tamẽ arcana omnia ac myſteria, vt cœli plagas omnes non antè ſcrutando perueſtigare poſſumus, quàm illic ſimus. De cætero obſerua dixiſſe me datâ operâ cum diſiunctione, de ſpeciebus ijs quas nunc habemus in vſu, non poſſe eas animæ adhuc informanti famulari niſi excitante aut excitato phantaſmate; ſuſpicio enim mihi magna eſt; cur ſine cõtemplatione phantaſmatis ſpeculari non poſſimus ſenſibilia, cauſam eſſe non eam, quam communiter reddunt, quòd phantaſiæ actio actioni intellectus viam præmunire debeat, ſed potiùs quòd vtriuſque facultatis tanta ſit conſenſio ſaltem hoc tempore, ínque generis ſpeciebus; vt ſi huius vnde ipſæ ortæ ſunt, non præiuerit aliquando intellectui phantaſia, aut excitârit intellectum, ſtatim ſub-

ſequatur & excitetur ab eo ipſa, vt ferme fit in horologiorum rotis. Iſtud autem qui tenuerit, longè faciliùs explicabit, quo tandem modo ſpecies comparatæ in corpore ab animâ, proſint ipſi extra corpus; tunc enim, nil mirum nó excitari phantaſiam, cuius abſit organum. Sed hæc ego in opinionum arbitrio poſita fuſiùs mitto perſequi. Interrogant & ita 2. Ergóne otioſa erit æterno tempore ſentiendi ac vitam plantæ viuendi radix animæ etiam ſic ſeparatę inſita, niſi quid ab autore naturæ non debitum accipiat. Profectò vt ocium illud eſſet, minùs eſſet in eo incommodi, quàm quo, ſi moreretur cum corpore animus, vacarent turpiter ab omni opere ſuo facultates nobiliſſimæ, quibus eſt ad intelligendum inſtructus, nec tamen vti poteſt hoc interim vitæ impeditæ ſpatio: ſed ne id

quidem vocandum eſt otium ſaltem naturæ fugiendum, eius virtutis, quæ ſuos ſuo tempore fructus ediderit, ac tandem meliori locum ceſſerit. Conceſſa nobis eſt animantium ac plantarum vita propter eâ quæ eſt in intelligendo poſita; huius illæ commodis poſtquam aliquanto tempore actione ſuâ inſeruierint, quid vetat æternâ ceſſatione vtiliorem adhuc ei vt operam nauent, legibus naturæ comparatum eſſe? Sciſcitantur tertiò. Status ille ſeparationis nonne violentus eſſet, quippe naturali coniunctioni contrarius? violenti autem ſi nihil quidquam eſſe poteſt à natura diuturnum, quî ferri poterit iſtud quod æternum eſſe contendimus? Petitionem porrò egregiam; quaſi verò intenti ad prima vt voluntati in liberis; ſic quoque naturæ in neceſſarijs honeſtum non ſit, in ſecun-

dis tertiisue consistere ; aut hac ratione non conquiescant causæ naturales in mõstrosis effectibus. Dixerim ergo statum vtrumque naturæ congruentem ; vt cùm nequiuerit homo vitam eam quam habet cum belluis communem & plantis producere longiùs, quem in finem propendebat si voles imprimis, saltem eam ne perdat quã velut secundariam spectat ducendam cum Angelis solâ intelligendi vi per æterna tempora, quàm dudum saltem in pristinam corporis societatem haud fuerit rursus per Deum restitutus. Nam quid hîc contrariorum ratio profertur? tanquam eorum vnum si naturale fuerit, alterum oporteat esse violentum. Nonne ætas in nobis ætatem trudit, & contraria est iuuentuti senectus, vt in pomis acerbitati maturitas, neque tamen idcirco minùs est à naturâ vtraque.

Digitized by Google

Fit ergo non rarò vt pro varietate temporum varias & oppoſitas inter ſe leges eidem rei natura preſcribat, quas ſine vi & coactu vllo, per ſe ipſa ac ſua ſponte ſeruet æqualiter omnes. Eodem autem recidit quod de animâ ſeparatâ requirunt, apta ſit nécne vt poſtliminiò ad corpus redeat? Si neges, reſurrectionem quam vocamus mortuorum ac ſperamus, probant nullam eſſe poſſe: ſi concedas, vt concedi debet, verentur ne adſcribenda ſit naturę. Sed hũc eis metum pręſtare poſſumus, cũ dixerimus; non quęcunque eſt rerum congruentia, hanc naturæ incumbere vt omnem in actum redigat. Apta certè quidem erat ipſa rerum creatarum vniuerſitas vt ſiue ab æterno & infinito, ſiue ab conſequente & poſtero tempore prodiret in lucem, ſed ita vt à creatore ſuo & factore, non à ſe;

id quod ne Philoſopho quidem de primo motore diſputanti incognitum. Denique ne quid huius generis intactum relinquant. Reuocata, inquiunt, ad beatum corpus anima, cùm præpotenti Deo placuerit, intelliget dumtaxat vt nunc communiter cum corpore, hoc eſt, ita vt comitetur, antecedat, aut conſequatur actiones eius omnes ac ſingulas actio corporis aliqua; an etiam ſolitariè ac propriè contemplationi vacabit aliquando? ſi conſiſtet in primo, quid ei reſtat ſpei ad videndum Deum in ſe; ſi perget ad ſecundũ, quo iure refigetur lex illa ſacroſancta, ex quâ toties cautum eſt ac prouiſum in præcedentibus, vt ne modus operandi modum eſſendi ſuperet. Ad hoc reſpondendum eſt ſimpliciter pergi ab animâ ſeparatâ ad ſecundum iſtud; in quo nihil mirum ſi quâ forte ab

lege naturę diſcedet velut antiquâ & mortuâ, cùm ei ſuberit vni, qui vt ſumma lex eſt, ſic carnem ab inferis cũ excitabit, totúmque apud ſe hominem in gratiam reſtituet ſummam, æquum eſt ſuis magis ſanctionibus ſubdat, quàm alterius. Nam vt id hoc loco repręſentem, quod nonnemo fortè in præced entibus deſideret. Cùm dicitur modus operandi ſequi modum eſſendi; id ſi non eam vim omnem hab et, quam alibi viſi ſumus aſſerere; hanc certè habeat in primis neceſſe eſt, quæ ſola requiritur ad argumenti noſtri conſecutionem ſtabiliendam. Attende quod dico. Si modus, inquam, operandi aliquis modum aliquem eſſendi rei conuenientem ſuperare poteſt, certè non omnem; dum enim vnum ſuperabit, accommodabit ſe ad alterum, & erit proportio naturæ debita: cuiuſmodi

non eſſet ſi omnem omninò ſuperaret. Hinc ſanè quod ſuprà ſatis clarè poſcit Ariſtoteles, cùm hîc dederimus vltrò; animam adhuc informantem pulchritudine ſuâ corpus, verſari inſuî cognitione clarâ ſine phantaſmate; quo quidem in caſu nihil erit loci obiectioni huius capitis vltimæ. Non tamen nutabit aut deficietur à præſidio axiomatis iam dicti, conſecutio conditionalis illius; ſi eſt aliqua animæ operatio propria, proprius etiam eſt exiſtendi locus; ſi poteſt aliquid præſtare ſine corpore, poteſt item eſſe. Nam niſi iſtud foret, ſuperaret operandi modus aliquis in animâ omnem eius eſſendi modum, nec ſeruaret natura in eâ proportionem eam quam ſectatur in alijs omnibus. Illud autem vt Ariſtoteli, aut cuuis alteri concedamus, de operatione animæ coniunctæ ſolitariâ;

tantùm ſequetur ex eo, quòd ea ſuperet eum eſſendi modum, quo fruimur nunc, non autem eum omnem quem habituri ſimus aliquando; in quo certè nihil eſt repugnans ſuauiſſimis naturæ legibus ac inſtitutus.

Obiicitur octauò de intellectu ſeparato ſomnium Auerrois.

CAPVT VIII.

VIx quidquam eſt in rebus aut humanis aut diuinis præſtans & excellens, quin vt curioſi ſumus, nec ſatis ingenioſi, mirabiles in eo, vt ita dicam, tragœdiæ ſint à nobis excitatæ. De primis rerum principijs quas non dedêre fabulas primi Philoſophi, ſi Philoſopho fides eſt in phyſicis? de perſonarum in Deo diſtinctione quæ & quanta olim opinionum portenta apud hæreticos? Ac ne

omnia conſectari longum ſit. Tria videntur in primis vniuerſim admirationem habere. Natura diuina, mens humana, ac vtriuſque coniunctio, quæ eſt felicitas noſtra. De Deo quis non horreat audire Ægyptiorum inuenta? de finibus bonorum & malorum, ſeu quod eôdem recidit, de ſummo bono adipiſcendo, vitando autem ſũmo malo, adeóque de beatitudine ipſâ nõne prodigij ſimile eſt, quòd ducentas octoginta & octo ſectas à M. Varrone enumerari refert Auguſtinus, quæ partim eſſent, partim eſſe poſſent? De ſeipſâ verò mens humana ne magis quieta conſiſteret, quàm varia, quámque incerta in viſa inciderit ſeparatus Auerrois intellectus vel vnus fidem facit; quem quidem etſi tam alienum per ſe à ratione, quàm per autorem ſuum à corpore, lubet tamen paucis explodere;

ne quod ſibi adhuc in eo præſidiũ eſſe petulans aliquis & planè inſanus arbitretur. Quantùm ergo conijcere poſſum cum viris doctiſſimis; furorem hunc viſus eſt ita furere Commentator, vt diceret non vnicuique homini ſuam eſſe in animo concluſam intelligentiã, ſed vnicam omnibus quaſi ad fores aſſiſtere, quas fortè pulſari cũ audiret, commotione ſenſuum aliquâ, præſtò eſſet cogitatiuæ ſingulorum, ad debitam homini in intelligendo perfectionem. Hîc verò vt mittam innumera quærere, quibus reſpondendis Commentator ipſe quantumuis comminiſcendo egregius, vix tamen tam multa poſſet effutire, quin ſe cogeretur ratione vacantem fateri, & beſtiarum conuictorem domeſticum. Tantùm rogo. Aſſiſtens ille & ſegregatus à corpore intellectus, quíque non ſit homi-

nis forma ſaltem intrinſeca ; his enim enim coloribus eum depingi vult, qui eius inuentor eſſe dicitur ; vnicus eſt an multiplex ? ſi multiplex pro multiplici ſcilicet hominum varietate, quid hæret in limine ſingulorum , aut fores obſidet domum inuitatus ? quin ſe, inquam, in corpus inſinuat ? neque enim viſus erat foris diſtineri niſi vt celeritate quadam mirabili vnus ad omnes cùm opus foret, accurreret ; quem ſi iam facis eſſe multiplicé, quid cauſaberis quin ſuo ac proprio vnuſquiſque informetur ? dignitatémne & præſtantiam à quâ degeneraturus ſit ſpiritus ad corpus ſic tanquam ad mutuum naturæ complementum accedens ? At profectò ſi non eſt ipſo indigna actionis immanétis, vt loquuntur, cum corpore conſociatio, qualé neceſſe eſt vel ipſe hoc loco Auerroes admittat ; prin-

cipij actionis, ſeu naturæ cur indigna erit? quemadmodum enim ſi hominem conſtituat inexiſtendo in ipſo, pars dicetur naturæ hominis; ita aſſiſtentis ipſi extráque morantis dicenda erit actio immanens ea imperfecta, quæ actionis humanæ in tantum pars erit, in quantum homini ſubſidiũ illud functionis ſuæ impertietur. Explicabo rem fuſiùs, vereor enim ne breuitatis ſtudium obſcurioré hîc orationem meam reddiderit Actio illa ſi qua eſt intellectûs aſſiſtentis, debet eſſe eiuſmodi, tũ vt ſit ab illo intellectu tanquam à cauſâ particulari; propterea enim ab autoribus ſuis ſtatuitur, quòd exiſtiment hominis cogitãdi vim, perfectionẽ ipſius vltimã ne ſufficere quidẽ ei in genere cauſæ ſecundæ ad intelligendum; tum vt ex ipſâ coniunctâ cum actione illâ cuiuſmodicunque quæ, eſt ab ho-

mine, intellectio exurgat humana
Hæc cùm ita ſint, inſto ac vrgeo.
Si præclari illius intellectûs extra-
nei alienum non eſt à dignitate
actionem ſortiri immanentem
quaſi dimidiatam & imperfectã;
quam cum actione hominis in
materiam demerſi miſceat, cur
abhorrebit à conſimili mixtione
naturæ? Si vnum cum alio & cor-
poreo ſecũdarium agens non de-
dignatur conſtituere, cur ab vnius
compoſitione ſubſtantiæ tam lon-
gè aberit, aut ne in eam incurrat
abſtinebit ab informando corpo-
re? Arctior eſt profectò actionis
illius tum immanentis, tum par-
ticularis cum naturâ ſocietas, quã
vt in partes agendi cum alio com-
muniter res ea vocari poſſit, quam
ſua dignitas vetat in partes venire
vt ita loquar eſſendi. Dixi porrò
id totum de actione particulari, &
immanente, quod diligenter no-
tandum

tandum eſt tum quia de his duabus cõditionibus neutra hinc abeſt, vt oſtendi aut breuî oſtenſurus ſum, tum quia ſi deeſſet altera, deficerẽtur haud dubiè argumentum ratione diminutum, & peccaret in cauſâ primâ. Cum hac autem exceptione, vt in hanc valet plurimum, ſic in partem alteram dilẽmatis ab lectore gnaro accommodari poteſt. Pars eſt eius altera, quam amplectetur Auerroes, vt ſit vnicus Aſſiſtens ille intellectus: hac parte autem, vt mittam dicere quàm nihil ſolidi habeat illud eius fundamentum, quòd multiplicatũ nihil eſſe poſſit, niſi quod ſimul materiatum; quaſi verò aut Ariſtoteles ſubſtantias ſeparatas dubitet plures affirmare; aut ſi quid egeret interuentu materiæ, multiplicitas rei, deſideraretur in intellectu informãte multiplici, cuius eſſet vtique in

corpus propenſio ſemper ea que formæ, quæ animę. Vt totum illud omittam, non eſt enim metuendum ne nimis liberaliter agas cum ijs aduerſarijs, qui tam aperta ad fodiendum latera in arenam ferunt improuidi. Si vnus eſt communis omnium hominum intellectus, diuinus ille eſt, an creatus? neque enim id in Commentatore tam apertum eſt, quin dubitetur à multis, quidquid initio viſus ſim certum in eo ponere. Ergo ſi diuinus eſt intellectus ille; rurſum quæro extra ſe an intra totum id agat, quod hîc agit. Non extra ſe certè, aut in homine; alioqui quid hoc portenti, intellectio vt extra intellectum conſiſtat, & quidem toto ab eo diſiuncta ſuppoſito? Sed neque intra Deum contineri poteſt, quod immenſos in eum errores toties inueheret, quoties opinione ſuâ fallerentur homi-

nes; neque enim prorſus vlla valeret excuſatio, quin prima ac ſumma veritas à ſe ipſa monſtrosè deficeret, ſi aſſignanda ipſi eſſent, ſi in ſinu eius & complexu reponenda quæcunque eſſe poſſunt falſa hominum iudicia. Nunc verò ſi intellectus ille fingetur à Deo creatus, quæ eſt reſponſio ex omnibus vna maximè tolerabilis; præterquam quòd incredibile eſt creatam vim vllam ſatis eſſe poſſe vnicam ad notiones rerum tam multas ſeu in ſe, ſeu in nobis, vno & eodem tempore ſignandas & imprimendas, quàm multæ ei ſignandæ ſic eſſent & imprimendæ, vt applicatione ſuî intelligentes quomodocunque faceret, quotquot vſpiam homines in toto terrarum orbe vnà de ijſdem & diuerſis rebus cogitant apud ſe ſinguli. Quomodo in vnam & eandem intelligentiam ſimul cadet

contrarietas illa opinonum & ſententiarum, quam toties in hominibus experimur, cùm vnus ait, alter negat de eodem idem? quæ eadem quæſtio impedire poteſt aduerſarium in reſponſione iamiam explosa de intellectu diuino. Dicet fortè propterea nihil eſſe in his incommodè, quia intellectus ille in diuerſis hominibus contraria illa iudicia fert. At cùm antè oſtenderim, illa ipſa iudicia in eius vnius ſinu neceſſariò contineri; vix vllum fœdus ſuggeret, aut inter ea ſanciendum ſuſcipiet, quin illud ipſa continuò violent, ſeſéque mutuis fodiant vulneribus. Reſtat ergo, vt ſuum iſtud ſomniũ integrum Auerroes ſomnij loco & mendacij haberi ſinat, aut certè interpretetur ipſe, de actione intellectûs diuini, qua parte non intellectus quidem præcisè, ſed eſt prima cauſa, in omnes cauſarum

ſecundarum, adeóque inferiorum intelligentiarum effectus ex virtute ſuâ influens aliquid. Et erit fortaſſe nonnemo, qui eam in ſentẽtiam verba eius accipienda putet: vt ſua ac propria tum vnicuique, tum Commentatori ipſi inter homines ratio conſtet ac intelligentia. Porrò an ita poſſit accipi, non diſputo, illud contentus oſtendiſſe, quòd niſi quid ſimile ſonet eius doctrina, inanis ac ſtulta ſit, ſi quid autẽ ſimile, ne pilum quidem nobis aduerſantem habeat. Cæterùm hæc ego ita ex me contra ipſum diſputaui, vt ſtudio abſtinuerim ab ijs quæ eadem in cauſâ doctiſſimè D. Thomas & fuſiſſimè lib. 2. contra Gentes; ex quo videas quàm aperta ſit & clara veritas à nobis confirmata, cùm tam multis veſtigijs oppoſitus ei error tam certò deprehendi poſſit.

Obijcitur vltimo vt ex improuiſo.

CAPVT IX.

VT in pugnæ ſummâ contentione pugnatæ exitu, videas nonnunquam de exercitu fuſo fugatóque ſtrenuum repentè militē vel vnum collectâ ſociorū manu, & poſtquam nihil reliquum eſt ſpei, ad generoſæ mortis gloriam quærendam excitatâ, facto in victores impetu, certamen belli tãtum non inſtaurare, nec ſine eorum periculo, ſi qui ſe incautos opprimi ſinant. Fortè ſic erit nonnemo ex veritatis hoſtibus, qui ab deſperatâ iam tandem eius aut euerſione aut occultatione nouos ſibi animos faciat, quos vt retardemus ocyùs, audiamus tandem eos qui ſermonem ita inſtituunt. De animâ pecudis videtur illud dici poſſe, in quo argumenti noſtri

vis eſt maxima. Aut enim illa ſecundum ſe ſuis poteſt verſari in oculis, vt de mente humanâ antè diximus; aut non poteſt. Si poteſt, quidni ergo abiecto etiam corpore ad muneris illius functionem reſeruabitur ipſa ęternitati tandē ſuæ? Sin autem id non poteſt, quęretur item, cognoſcentis an cognoſcendæ virtutis defectus ille ſit; ac demum allatâ ſecretione à materiâ, quæ vt intelligentis & intelligendę, ſic generalioris vtriuſque iam nominatæ virtutis, dicēda ſit par eſſe & commune principium; ſimul conficietur propterea cognoſci poſſe à pecude ſuam ipſius ſecundum ſe animam, quia fieri non poteſt vt ab eodem fonte ex quo dimanat vtrumque æqualiter plus in eam redundet luminis illius quo cognoſci, quam quo cognoſcere poteſt. Hic igitur iſte eſt aduerſariorū impetus

vltimò ſuſtinendus, quem ſi mihi inopinatum dixero, mentiar, pridem enim etſi non ſine monitore, prouiſum habeo; ſi de nonnemini illorum qui pro me in hac cauſâ ſuffragantur, fors viderit an falſa ſuſpicio. Rurſum ergo ad arma. Nodum hunc aio bifariàm ſecari poſſe. Primùm vt neges iſtud quidquid eſt de vacuitate materiæ in pecudis item vt in hominis animam conuenire; tum vt ſi conueniret, nec dum tamen in aſſertæ immortalitatis partem iure vllo vocatum iri pecudem contendas; Ac ſanè vt de hoc ſecundo, primo loco dicam, vtque animantis ratione vacuæ ipſam ſibi ſecundùm ſe animam in proprio ac bono lumine nudam repręſentari poſſe vltrò concedam, quod omnibus modis nefas eſſe poſſim oſtendere. Quid tum? Poterítne aduerſarius vltra nobiſcum progredi, dé-

que visione illâ illud confirmare, quod de mentis humanæ visione item clarâ ac nudâ commentati antè sumus, nemine solidè refragante? Audebit illam dicere nihil habere per se cum corpore coniuncti? At obsecro, quæ potest absolutè esse pecudis vllius extra sensum aut suî aut aliorum cognitio tandem vlla? Sensum autem vbi nisi reperias in corpore? omnis siquidem est, cum interior tũ exterior cognitio, in organo corporeo fuſa necessariò. Pariter fortè dices his finibus describendam intellectionem non omnem quidem, sed humanã; vt sit cognitio siue in ortu suo siue in progressu aliquo tandem pacto coniuncta cum sensu, ac proinde cum corpore; verùm id si dicturus es non dicis & contentionis, sed veritatis causâ; affer aliquid cur dicas, & totum intelliges non modò antè

pluribus à me refutatum, ſed valde ridiculum eſſe omnium opinione, ac niſi diſſimulare velis, tuâ ipſius ſententiâ falſum, ſi te ipſe conſulis, cùm tamen id quod dico de iunctione ſenſûs & corporis, ſit hoc ſole clarius. Intellectionẽ humanã vis ſcilicet hoc diſcrepare ab angelicâ & diuinâ, quòd illa alligata ſit ad corpus, hæ non item; id autem quî pugnas aduerſus omnes bene ſentientes, quin ſi ſuperioris illius diuiſionis tertiâ parte explicatæ memineris, continuò pugnam dimittas, vt in mẽtem venerit, animum noſtrum ſaltem ſi ſuî contemplationem nudam ſectari velit, non pendere ex corpore ſic tanquã ex ſubiecto, obiecto, aut comite, aut alterius tandem nominis obligatione; quod totum ſi me hîc rurſum orditi velis, næ tu ſupra modum iniquus ſis. Vide ergo quàm inaniter

telum illud contorqueas quod tibi iamdudũ excuſſi: neciure vllo poſſis ſub finem diſputationis reſponſione illâ te defendere, quam vt ſuſtineas rationes eas cogaris refellere, quas toto pene ſermone iudice te probârim omnes. Nam ſi illud tantùm quæritur vt intelligentia humana ſic tanquam mẽtis acies ſit ſaltem initio acuente ſenſu excitanda; id certè facile eſt inuenire, dum nulla prorſus anima antè aut eſt aut intelligit naturaliter, quàm ſit aut ſenſum habeat alicuius tandẽ rei in corpore. Nunc porrò vt primam reſponſionis meæ partem ſecundo loco explicem. De ſecretione à materia quod dixi ita vt pertineret ad viſionem animi nudam ac claram ipſimet vendicandam; illud eſt huiuſmodi. Non poteſt animus noſter plus habere per ſe luminis vt videri quàm vt videre poſſit;

ſi vnde illud habet, indidem iſtud accipit, eadémque menſurâ. Sed ex materiæ abalienatione vtrumque pariter habet, quod explicui & oſtendi allatâ hinc vniuerſalitate ac certitudine quas amat habere obiectum intellectûs, oppoſitas reſtrictioni ac mutabilitati materię conditiones; illinc verò tum experientiâ contemplantium hoc meliora quò remotiora à ſenſu, tum ſi quæ fuit alia ratio experientiæ conſona; ex quibus omnibus hoc cogebam in primis, intellectûs & abſtractionis à materiâ eã eſſe conſenſionem mutuam, vt ſi quid eſt abſtractum, illud neceſſe ſit eſſe intelligens; ſi quid intelligens, viciſſim abſtractũ; ac deinde cùm his poſitis nil poſſet afferri cauſæ, quin ſuî viſione clarâ frui poſſet aliquando mens etiam noſtra; cùm neque defectus, intellectiuitatis neque exceſſus intelligi-

bilitatis eò valeret quidquam, concludebam denique id, iuris cócedendum ipſi eſſe. Iam in his omnibus quid videtur in imaginationem aut ſenſum communem pecudis quadrare poſſe, quæ tamen eſt ipſius ad cognoſcendum facultas ſumma? An de vniuerſalitate? at certum eſt apud omnes quod ſenſus ſit ſingularium dumtaxat. An de certitudine? at quid incertius phantaſiæ figmentis? An de experientiâ quod allatũ eſt? Sed è contrario, vſu & ratione magiſtrâ didicimus in eo vim eſſe imaginationis optimam, cui tum pingue ac craſſum, tum circunſtantijs, vt dicimus, ita ſeptum omnibus ſeſe obiectum offerat, vt videatur illud manu tangere & ante pedes cernere. An de connexione quâ inter ſe colligatæ atque implicitæ ſint rationes abſtractionis atque imaginationis? illas verò tanto inter-

uallo diſiunctas nôrunt omnes, vt vix vlla poſſit eſſe diſcrepantia maior. quid enim eſt ? Nonne cogimur dicere ſi quid eſt abſtractum & ſeparatum à materiâ, illud quoque ab imaginabilibus, vt ita loquar, reijciendum eſſe ; quando imaginatio ſeu communis ſenſus & interior illud tantùm ſpectat & complexione ſuâ colligit, quod per omnes ac ſingulos externos diſperſum eſt. Nonne ſimiliter imaginationem inde omnem abeſſe habemus neceſſe dicere, vbi nulla reperitur materia, quæ ipſi quaſi domicilium ac ſedem præbeat ; aut quod idẽ valet ſpacioſũ illud partium interſtitium, quod in quantitate cernitur. Multò verò minùs queat aduerſarius ad imaginationem pecudis primum illud accommodare de communitate principij, aut vltimum de viſione ſuî ipſi concedendâ ; quorum

quidem illud ex intermedijs iam ſublatis, iſtud ex omnibus pendet. Neque, inquam, materię immunitas, neque vlla alia poteſt eſſe communis origo luminis alicuius in quo ſentiri poſſint, ac ſentire brutarum animantium animæ; ſiquidem vt ſentiri poſſent ſiue à ſe ſiue ab alijs, deberent inſtar eorũ quæ ſenſibilia propria nuncupamus aut communia, demerſæ funditus eſſe in materiam; vt autem ſentiant oportet eas contrà ex materiâ emergere, ſi minus quantũ emergit humanus animus, dum ſe ab eius interitu vendicat, vt oſtendimus; paulò certè magis, quàm pro more plantarum, cum quibus nulla cognitionis vllius ratio cohæret: quomodo, inquam, receſſio à materia poſſet eis admetiri ſenſibilitatem, ac ſentiendi vim pari menſurâ; quando hæc, vt dixi emerſionem à materia poſcit ali-

quam, illa omnem omninò repudiat & auerſatur ? Denique quid tantî in eo eſt? vt vel animæ hominis ſimpliciter ſuî penetrationem aliquando concedamus, quam ſcimus ſuos in ſe oculos toties cótorquere ſolitam; vel animæ pecudis eam demum negemus, quá intelligimus vt tantùm ſenſu pollere, ſic ſui cognitione carere tum omni, tum reflexa maximè. Nefas eſt ergo dicere quòd ſe in ſe pari iure cognoſcere poſſit anima pecudis ac hominis, cũ hęc ſatis ad id intellectiuitatis, illa nihil prorſus habeat imaginabilitatis, ſit ſua rurſũ verbo venia. Denique ſi quid poteſt ſupereſſe roboris in hoc argumento toto, iſtud tandé; quòd vt intellectiuitas & intelligibilitas ex vno naſcuntur communi immaterialitatis principio; ita quoque cognoſcitiuitas & cognoſcibilitas; adeóque par ſit illarum

gradus

vt illarũ gradus in homine ob cómunionem illam, harum quoque in brutis menſura; eandem ob cauſam; & ſi ſe idcirco anima hominis poteſt intelligere intellectione propriâ, poſſit quoque ſe anima pecudis cognitione propriâ cognoſcere. Acutè, verùm illud quis tibi concedat, aut quo iure aſſumas, mi homo, cognoſcibilitatem ex immaterialitate oriri. Etenim aut cognoſcibilitatem eam intelligis, cùm ita loqueris, quam reſpicit cognoſcendi facultas ſenſui communis & intellectui; aut eam quam ſenſus ſibi vendicat nominatim. Ac prima quidem illa ex ratione entis vniuerſaliſſimâ ortum habet; eſt enim quodcunque tandem ens cognoſcibile ab intellectu aut ſenſu & hoc ſolum; ſecunda verò ex ratione corporis naturalis; eſt enim omne illud ac ſolum ſenſu tandem aliquo perce-

ptibile. Vide igitur quàm longè aberres à ſcopo. Atque hæc ſi cui fortè videbuntur à me ſubtiliùs aut fuſiùs diſputata, quàm pro finibus quaſi noſtris ab deuictorum hoſtium excurſione tuendis; excuſationē quæſo accipiat amicitiæ volui enim hunc honeſto viro, & amico & docto, ex animo ſcrupulum euellere quem ſibi tenuiſſimum reſtare dicebat ex totius diſputationis huius circumſpectione & conſideratione accuratâ. Nunc dato receptui ſigno vltimo videor contractis tandē copijs tutò quieſcere poſſe, Deóque vero ac Domino exercituum de reportatâ victoriâ gratias agere: niſi etiam ſupereſt vt eâ vſque ad eum finem vtamur ad alios, dum ſuum hunc quoque, depoſitis cum errore armis, triumphum ducant.

Digitized by Google

EPILOGVS ET ADMONITIO

Ad aliquos corporis ſui quàm animi amantiores, & contentionis cupidiores quàm veritatis.

AD vos mihi ſermo ô Iuuenes, flos ætatis, periculum mentis, vt vos Auguſtini verbis alloquar quotquot, hæc mea cópellat oratio; ſeu ætate, ſeu moribus adoleſcentes eſtis. Qui immortalitatis animorum ſenſum procul omnem ablegaretis lubenter à vobis niſi eſſet altiùs à naturâ infixus quàm vt arte vllâ aut malitiâ funditùs refigi poſſit, video vos partim voluptatũ, partim titillatione glorię delinitos, & in fraudem inductos atrociter. His putidæ carnis ſic tanquam terrę ex halationes, aut ex agris tepefactis, & ex aquis excitati à calore vapores tenebras obducunt in re

vt in die clariſſimâ. Alios immodicus laudis amor inſueto itinere ſublatos in altum antè præcipites agit, quàm de ſuo caſu cogitârint; & dum vtriſque nihil videatur eſſe diuturnius corpore, circumſpicitis vos tanquam beati ſitis tum impunitâ libertate flagitiorum, tum eorum admiratione ſtupidâ ac ſtultâ, qui veſtram in dubitando, in blaſphemando libertatem, homines rerum omnium ignari ſoliti ſunt aliquando ſuſpicere. Sinite me, obſecro, huic morbo duplici vnam ſimplicem medicinam facere, ſed eam & parabilem, & gratam & opportunam. Si cuius certè hominis frugî aures ad hanc diſputationem patent, eius quin ſe animus crediturus ſit immortalem, mihi dubium non eſt; id autem vt à vobis expectem, vix poſſum à me impetrare cùm attendo quàm difficile ſit eorum menti-

bus veritatem inſtillare morum correcticem, qui fraudulento ſirenum cantu aures habent oppletas, aut inanis gloriolæ vento turgidas. Attamen quia certus ſum veſtram vobis opinionem de morte animi item vt corporis haud ita eſſe penitus inſitam, quin ſi in ſcriptionem hanc oculi veſtri inciderint, dubitatio vel nolentibus ſuboriri poſſit aliqua. Faciamus ita eſſe: & quoniam his quæ à me hoc libro diſputata ſunt, quod poſſet à vobis præſidium opponi, vix vllum eſt tam firmum vt nos inermes atque omni ope deſtitutos de noſtro protinus deijciat; quod & ipſe Pomponatius fatetur vt putat ingenuè. Ne contentionis infinitæ fructus nobis omnis pereat: conſtituamus de re totâ, tanquam dubia ſit & anceps. Non poſſumus de eâ, vt videtis, meliori vobiſcum & honeſtiori conditione tranſige-

re: hanc si modò accipitis, spondeo fore vt bonarum continuò partium sitis. Attendite quod dico, iámque veritati manus date, quæ si vos vel hoc pacto vicerit, victoriæ fructus & insignia, confessione vestrâ, victi reportabitis. Ergo vt qui certissimus est vel ex iam dictis & probatis, incertus sit vitæ nostræ exitus, nec vllus cùm à fide discesserit, de animis hominum exploratum habeat dissoluantúrne cum corpore, an ad æterna virtutum præmia, aut vitiorum supplicia incorrupti permaneant & integri. Si cui tamen vlla est in iudicando ratio, sic se gerat, oportere dico & contendo, vt cui vltimum istud certum sit ac constans. Quorsum? quia nemo est profectò sanæ mentis homo, qui si colluſorem habeat non dispar em, ita velit aleâ ludere, aut pilâ, aut alio ludi genere, vt si vicerit,

denarium auferat, ſi victus fuerit florentiſſimum & opulétiſſimum ac ſempiternum regnum perdat. Quid illud eſt, inquis ? ipſum illud quod peccas, niſi virtutem ſeriò amplecteris vel de animorum immortalitate ſecuri nondum animi. Age ſanè, & incertitudo illa de vitâ tuâ ludum faciat, in quo temeritas & caſus dominetur, non conſilium vllum aut ratio. Si te ad vitium applicas, fórſque tulerit, (eſt enim domina campi in vtrúmque parata, quemadmodum nunc ex pacto & conuentu diſputamus) vt ſit immortalis animus ; quæ tua ſors erit diſcedentis è vitâ ? nonne eius hominis cui ad voluptates & delicias, & honores ac dignitates, centum & viginti, ad ſummũ, annorũ curſus conceſſus fuerit, æternitas verò beata perierit. Huius verò vitæ ſpatium quodcunque poteſt eſſe longiſſimum ac feliciſ-

ſimum dum in alterâ libræ lance contra æternitatem beatam ac florentem ponis, nonne tibi videtur, ſi nôſti rerum pondera, lanx ea non ſecùs tollenda in altum, ac ſi pactis pro ſplendidiſſimo regno auri momentis denarium ponderares. Hæc te cura, etiam atque etiam rogo, ſolicitum habeat aliquando, hęc tibi ſubinde mentem cogitatio impellat aut reddat, dũ tecum ipſe ſermocinaberis in hũc modum ſolito attentiùs. O me miſerum & infelicem! quantò conditio mea eſt iuſti ac probi hominis, hoc eſt, colluſoris mei conditione deterior! Ita viuimus inter nos, vt ſi reſtet vita poſt hanc alia; paucorum dierum labore nõ magno, in quo ſe fregerit virtutis haud omninò iniucundæ cauſâ, æterni temporis quietem glorioſam ac beatam de bonorum omnium remuneratore Deo merca-

tus ipſe fuerit; ſin ita nati ſumus, vt moriendo perdamus omnia; tum verò intelligat modici temporis vſuram ſibi ad hilaritatem pro arbitrio datam in perpetuum euanuiſſe, ac de cætero quidē metuendum eſſe nihil. Mihi ex contrariâ parte, poſtquam aliquot anni fluxerint flagitioſi, & omnium voluptatum ſanie delibuti, ſi deponenda ſimul erit animi & corporis vita; non pœnitebit quidem laboris præteriti, meminero magis otij ac deſidiæ; ſed neque ſe vlla ſpes in poſterū tempus oſtendet, quâ me de præſentium bonorū acerbâ & neceſſariâ amiſſione tantillùm conſolari poſſim. Sin autem huius vitæ finis, alterius ac diuturnioris principium eſt: heu me térque quatérque miſerum! æternis ac intolerabilibus vindicantis Dei ſupplicijs neſcio quot diecularum effrenata licentia luē-

da erit ; immenſa & interminata deſperanda felicitas, quam honeſtæ vitæ impenſis poteram vtique comparare. Denique ſi ſemel illud expendendum eſt cuius eſt ad beatè viuendum & quietè, ſuprà quàm dici poſſit, momentum ac pondus ingens. Animus meus cũ ſeſe nunc certò ſaltem vt in nocte ſubluſtri internoſcat ; ſi quando fortè illuceſcente die ſuam faciem nudam & apertam diſſipatâ caligine contemplari potuerit, quod tota hæc diſputatio contendit non improbabiliter, vt leuiſſimè dicã ; perij, & beatitate perenni deturbatum incomparabilem in miſeriam mea me ſcelerata vita, ſine morâ demerget. Virum bonum ac ſapientem, vt ſua ſpes authoritate omni tum diuinâ tum humanâ, iíſque rationibus nixa quibus quid reſpondeam neſcio ; vt conſcientiæ ſuæ teſtimonium medio

quaſi in curſu decipiat ac deſerat, neque ſe olim mens in ſole videre poſſit, quam modò videt in vmbrâ; ſummum id affliget incommodum, quòd maluerit breuem hanc vitam ex ratione, quàm ex ſenſu ducere. Cęterùm vtrum ſors oblatura ſit, aliquid poſt mortẽ, an nihil, vt contentioſiſſimus eſſe velim, ac rationi contrarius, ancipiti loco res eſt. Hæc ſi quis apud ſe perpendat in otio, nonne expectandum eſt ab eo vt morum mutatione factâ, nuncio voluptati & vanitati remiſſo, virtuti acquirendæ, hoc eſt, perficiendæ & ad ſummum perducendæ naturę ſuæ tantum ſtudij & laboris impendat, quantum omninò non poſſet impendere, ſi mortalẽ ex omni parte accepiſſe ſe indubitanter crederet, aut æternitatem ſibi conſequendam nullo modo proponeret. Hac certè ſpe impellente hunc ipſe la-

borem ſuſcepi ; cùm ita mecum ſtatuerem, fore vt cui immortalitatem animę antè ipſi naturaliter incertam demonſtrâſſem , aut depoſitam vocaſſem in dubium , operæ ſemper illud pretium extaret , quo ſe quilibet in omnem euentum , mallet poſt mala præſentia futurorum bonorum expectatione bene viuẽdo fraudari , ſi quod eſſet fraudis fortè periculũ ; quàm poſt huius vitę gaudia, inter vitia , raptim deguſtata æternum & inconſolabilem luctum , ſi vel caſus incideret, cum reliquâ tartareæ plagæ hæreditate cernere. Deum porrò Opt. Max. rogo atque oro , vt hanc mihi diſputationem, ſuccedere ita velit ex ſententia, quam inſtituendis moribus æquè limandæ veritati aptam eſſe ac conſentaneum erat.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

APPENDIX
SIVE
PECVLIARIS
POMPONATII
CONFVTATIO.

TANDEM ergo post absolutum opus istud, oblatus est mihi ad legendum ex otio Pomponatij tractatus de immortalitate animæ, quem initio coniectis raptim oculis vix internoscēdi potestas fuerat. Vt lectus est à me diligēter, de eo quid senserim, quídque censuerim, contemnendus esset an metuendus, ne ipse quidem

certò memini; tam sæpe enim author multis modis versat rem eandem, vt difficile sit iudicium, plus in eo fraudis sit periculosæ in vulgus, an inscitiæ sapientibus prætermittendæ. Postea verò quàm ipse me collegi & intellexi illud agi totâ scriptione illâ, vt cum doctrina Aristotelis videatur non congruere immortalitas animæ: de Aristotele autem, à cuius libris non paucos scribendi breuitas aut obscuritas reiicit, facile esse fucum, vt dicitur, facere: tum sanè sic statui & iudicaui suscipiendam mihi esse eius hominis hac parte defensionem, à quo tam certum & clarum sumpsissem iam antè testimonium. Ergo vt etiam euidentius sit à tanta autoritate quàm verè approbetur sententia per se de cætero stabilis ac fixa: quod vir nobilis & eruditus mihíque in paucis carus rogat, faciam vt Perretum; hoc enim olim

Pomponatio nomen populare; paucis hîc seorsim refutem, præter ea quæ ex occasione diuersis locis iam ei respondi in superioribus. Fecit id quidem ante me fortiter doctissimus Iauellus Ordinis Prædicatorum Theologus; sed quia eius hac de re scriptum ingenti & crasso volumine inclusum (nõ enim operum eius cæteroqui bene multorum duo sunt, quod sciam, aut plura corpora) vix vlli potest esse in manibus, quod esset in hoc maximè genere, his præsertim temporibus exoptandum; cùm, vt initio significaui, prodijt nuper è latebris Perreti fœtus parenti erubescendus etiam nunc: gratificabor homini fortè minimè malo quod ei longè iam minùs obsit, immò quod sibi æternitatẽ posthac agenti impendi officium maiorem in modum poscat, quàm cùm inter mortales ætatem degens publicè

pro illâ gratiâ Iauello ſupplicabat. Accedit verò ad huius conſilii cauſas iam allatas hæc quoque non leuis; quòd quem huius operis initio ſuſpicatus eram de hoc argumento non plus attigiſſe quàm quod ex Dei voluntate liberâ ac poteſtate poſſet repeti, pòſt autem intellexi progreſſum vlteriùs; diſertiſſimus ille ſcriptor gallicus cùm teſtatus ſit non defuiſſe ſibi animum ad refutationem hanc, ſi fuiſſet libri copia; verendum eſſet ne quibuſdam maius aliquid de Pomponatii obiectionibus ſentiendi daretur occaſio, ſi hunc etiam ex me laborem deſiderari paterer. Porrò autem quia in tractatu ad quem aggredior excutiendum, non pauca ſunt quæ mihi apertè fauere, plura quæ incautos poſſint in fraudem inducere, aliqua etiam in quibus ſecum pugnet author, at nihil omnino quod ſi reſecetur ad vi-

uum, propugnatæ veritati tantillum officiat ; etſi ſatis eſſet quartum illuſtrando, ſecundum ex his auertere & deteſtari ; de primo tamen ac tertio præterea memorabo paucis, vt ſi quis Pomponatio fidē habere volet bono modo, id ei aſsētiatur quod nobis ratione impulſus concedit, in eo repugnet, de quo ſibi ipſe nō cōſentit. Tenebo me quidem quoad potero, & intendam animum ne quid mortui hominis obiurgatio acerbitatis habeat, aut contumeliæ; ſi quid tamen eiuſmodi diſputationis feruor, aut veritatis amor dictanti excuſſerit, aut ſcribenti, hoc leuiùs, vt ſpero, lector feret, nec ſtylum verti poſcet in codice, quòd eius qui obiurgetur cauſa ſuſceptum exiſtimare poterit, cùm eum meminerit eo iam in loco viuere, in quo ſpes eſt longè amariùs ipſi deflētum olim eſſe & abſterſum dolenti, ac

nunc etiam diſplicere vehemẽter, quidquid hinc iens intellexit improuidos in ſuis libris accepiſſe detrimenti.

De ijs quæ Pomponatio pro Immortalitate animæ fortè exciderunt.

§. I.

VNum eſt ex vltimo libri eius capite, principio obſeruandum, quòd fatetur mortalitatem animæ nec à ſe, nec ab vllo hactenus demonſtratam eſſe, aut omninò demonſtrari poſſe; id quod idem de Immortalitate ipſa magnopere cupit à nobis dici. Huccine igibur, bone vir, confeſſione tua redactæ ſunt machinæ tuæ omnes? at enim de opinione tua, vt lubet: de noſtra certè antequam quidquam pronuncies, euertenda tibi ſunt fundaméta eius omnia, quod vt feciſſes in reliquis, vnde longiſ-

ſimè abes, ab eo tamen labefaciendo quod ſeſe nunc tuis ſubſtructionibus contrarium prodit, non modò abſtinuiſti penitus, ſed etiá, vt mox oſtendam, fundum in tuo aſſignâſti, in quo iaci poſſet ac firmari. Enimvero illud ipſum quod ait, ſi obſcurum nobis eſſet in naturæ lumine animus noſter perennitatem habeat néene, nonne de ipſius etiá aſſeclis nó nemo ad affirmandum arripere poſſet, cùm ſic philoſopharetur: fieri non potuiſſe vt quod noſtra tanto referebat opere, parte noſtrî aliqua futuri poſt mortem eſſemus, an nulla: nos id natura celatos vellet, quæ in pleriſque aliis & difficilioribus longe & inutilioribus ſuũ nobis vltrò ſenſũ aperiat; atque ideo quòd in his vitæ huius tenebris obſcurum ſit ac incertum reſtare vt ſuperſtiti poſt morté animæ propria retegat ac confirmet experientia:

Nam quòd eodem capite teſtatur ſe de Immortalitate animæ aſſentiri Auguſtino, quem nulli recétiorum aut veterum in doctrina ſecundum, ne Platone quidem aut Ariſtotele minorem exiſtimet: quæro, aſſenſum illum magno illi viro præbeat qua parte Chriſtianus, an magis qua Auguſtinus eſt? ſi primum, quid ad rem? quam quidem de autoritate diuina viſus erat conficcre, aut quid attinet in eo Auguſtinum conferre Platoni & Ariſtoteli, ingenii laude, in quo ſit quidem ipſis longè ſuperior, ſed cum innumera hominum multitudine tantò philoſophis propè omnibus, dotibus naturæ inferiore: ſi ſecundum, quid ſe fruſtra torquet in Ariſtotele ad mortalitatem, quomodo loquitur, contorquendo, vt ex eius tandem mente

rem dubiam faciat; cùm Auguſtino ſi ſe velit in diſciplinam tradere, præceptorem habiturus ſit tam diſertè ac ſolidè pro Immortalitate ex ipſis naturæ principiis diſputantem. Præterquam quòd enim extat eius adhuc adoleſcentis in eam ſententiam opus integrum; ſi maturæ ætatis fructum popoſcerit, vocem illã Cygneam in libris de Trinitate obſeruare poterit, quâ vſi ſumus ipſi in ſuperioribus, ad vendicãdam animæ aliquo tandé tempore viſionem ſuî claram, quæ ſeſe etiamnunc ex Auguſtino per ſeipſam ſine ſpecie impreſſa intelligat.

Iuuat denique attendere, homo minimè aut malus aut ſapiens vt toto penè libro demonſtrationem noſtrã confirmet. Primò enim cõſecutionem illam axiomatis illius *ſi vlla eſt operatio animæ propria, ſeu nihil proſus debens corpori, ſepara-*

ri ipſa poteſt, paſſim aut pro comperta habet, aut nouis rationibus fulcit; hoc vno contentus, quòd arbitratur ex Ariſtotele nullam eſſe operationem animæ quin pendeat ex corpore, ſic ſaltē tanquam ex obiecto. Deinde de organo intellectionis quàm præclare cauſam noſtram agit, illudque nullum eſſe probat, quod adulatoribus ſuis vereor vt ſuadeat omnibus Nam quod apertè docet de ſeceſſu à materia, ex eo naſci cognoſcendi adeóque intelligendi vim præcipuam, cui poteſt eſſe incognitum quàm ſit è re noſtra? cùm quod eſt in promptu cuiuis paulò ſagaciori, adiecerit, de non omni quidem cognoſcibilitate, ſed eá dumtaxat quam affectat intellectus, indidem pariter naſci, quādo quæcunque ratio vnius, eadē neceſſe eſt, alterius quoque huc ortū referat. Ex Perreti igitur dili-

gentiſſimi mortalium patroni cō-
ceſſione hæc tria cùm nobis con-
ſtent. Primum, vt nulla intellectio
ſit organica. Alterum, vt ſi vel vni-
cum ſit genus operis in quo poſ-
ſit anima frangere ſe ſine corpore,
ſuperſtes ei ſit. Tertium, vt quantū
à materia ſecedit, tantū excellat in
omni perſona virtus ea quâ intel-
ligi poteſt aut intelligere: quid re-
ſtat niſi vt cauſam noſtram pero-
ret, ac dicat demonſtratum ſibi eſ-
ſe de anima quòd ſit ab omni mor
te libera; quandocunque ei ſug-
geſſerit quiuis de turba, viſionem
animæ claram & apertam, nec e-
gere phantaſmate ipſam ſecūdum
ſe, proindeque liberam eſſe à ſeruī-
tute corporis, nec ab anima ipſa
abhorrere in qua nefas eſt intelli-
gibilitatis aliquāto plus eſſe quàm
intellectiuitatis, ſeu non poſſe in
ſuos incurrere oculos nudam & e-
uolutam ab integumēto materiæ:

ſed hæc hactenus: præſtat enim ad refellenda aduerſarii tela pluſculum otii ſeponere, ne cui forte videamur in explananda veritate, quã in retegẽda falſitate cautiores.

Vt ſecum pugnet aduerſarius.

§. 2.

LOcum illius generis vnicum attingo breuitatis cauſa, miſſis aliis non paucis. Caput eſt nonum, in quo poſtquam effatum illud, *quòd anima ſit mortalis ſimpliciter, immortalis ſecundum quid*, omni neruorum contentione viſus eſt ſancire ac iubere, tanquam è tripode. In Ariſtotele quæ diſcrepantiæ alicuius, ſpeciem habere videntur hac parte nonnullam, ea vt concilietinter ſe, vtque ſuam ſententiam aperiat; quòd Philoſophus intellectum modò materialem, mixtum & inſepara-

bilem, modò immaterialem, non mixtum & ſeparabilem vocat, vt vult Pomponatius, ego nihil iam certè moror: id ipſe ita explicat & ex ſuo ſenſu loquitur. Eſt immaterialis, inquit, qua intellectus; materialis autem qua humanus. Bellè O fortunatum hominem in conciliando ſecum Philoſopho, niſi eadem opera eum cum ratione cómitteret non ignobile gladiatorum par. Quid ais aut aiebas, bone vir, iam enim certa experientia tuũ tibi errorem eripuit. De ſolo intellectu humano ſermo eſt locis illis Philoſopho, an etiam de alio quouis? Iſtud ſi aſſeris, vide quî ſuſtinere poſſis interpretum omniũ reprehenſionẽ, cùm te obiurgando dicent ridiculum & abſonum, qui hominem non inconſultum certè nimis aut temerarium eadem in linea iubeas oblitum propoſiti, de rebus tam diuerſis tam diuerſa

ita pronunciare vt nullum tamen mutati termonis vestigium relinquat: sed istud non vrgeo pressiùs, quod cùm suis rationibus Pomponatius intelliget nihil habere aptũ & conueniens, deleret confestim ipse. Ergo vt pro se simul respondeat commentator egregius, vtque fateatur in vno humani intellectus sinu mortalitaté suam simplicem ac immortalitaté cuiusdãmodi à se reperiri an condi è suo promptam cerebro, explicat tandem quod vult quódque affingit Philosopho in hæc verba. Vnus ac idem eiusdem vnius hominis intellectus, quâ ad ipsum pertinet & humanus est, extinguitur morte corporis, quâ verò intelligens est, vitâ fruitur perenni. Perge porrò. Partitio illa rerum est, an conceptuum? aliud est reapse in intellectu Perreti verbi causâ, quòd Perreti sit, & aliud quòd intellectus,

an intelligitur quidem aliud esse & aliud, cùm tamen vnum sit in se? Primum si amplecteris, falsum quidem, meo iudicio sequeris: neque enim apud me graduũ metapysicorum distinctio realis est. sed tamen de Immortalitate hoc ipsũ das quod quærimus. Satis enim nobis est quod sic per te stabit: vniuscuiusque hominis mentem sponte naturæ suæ sibi in æternitate constare ad intelligendum, etsi non vtique ad sentiendum aut vegetandum; eam ipsam, quæ singulorum erit actu ante dissolutionem corporis, tunc autẽ solâ potestate. Sed hærebit, opinor, in secũdo: mauult enim absurda sentire quàm cõmunia, qui semel tritam omnium viam vt relinquat, animum induxit. Ergo quòd intellectus humanus quâ intellectus est intelligatur distincte, quâquae humanꝰ est, ex eo nasci putat, vt hinc

immunis, hinc ſit obnoxius morti. Atenim ſi ita eſt, videat quid ſequatur, ſeſeque corrigat. In primis, voces illæ, *quâ intellectus*, quam videntur notionem habere? Aut enim rationem intellectûs præciſam dicunt ac ſolitariam, aut ſanam & integram: ſi præciſam & ſolitariam; cur illi rei immortalitatem vendicat, quam nuſpiã inueniat? neque enim vllus intellectus reuera eſt præciſus, ac ſeparatus à diuino, angelico & humano: ſi ſanam dumtaxat & integram rationem intellectûs verbis illis ſignificari vult, cur incluſam ea immortalitatem humano intellectui negandam putat, in quo ſi non videt ſaluam eſſe rationem intellectûs, videat de ſe ſuíque ſimilibus quàm bene ſentiat. Deinde in tota natura quid cum hoc monſtro conferendum inueniet? in quo gradus inferior p[illegible]opriam ſuperiori perfectionem

ctionem acceſſu ſuo detrahat; ſic enim vult ex eo quòd humanus ſit intellectus noſter, pereat ipſi immortalitas, quam iure intellectûs vt ſic, ſibi aliâs vendicaret. Denique quemadmodum propterea quia gradus intellectus homini communis eſt cum Deo & Angelis, in quibus morte caret, arbitratur dici poſſe etiam Ariſtoteli immortalem in homine, in quo tamen mortem veram ſubeat. Pariter cùm gradus ſubſtantiæ æquâ communione ac intelligentis gradus, ſpargatur in Deum, Angelũ & hominem, cúmque in Deo ſit increatus, ſit infinitus; ſubſtantia Angeli & hominis erit cur dicatur increata & infinita, quantumuis ab alio ſit certis concluſa limitibus. Miror enim cordato homini quid potuerit in mentem venire vt illud diceret, niſi excors factus eſt dum noluit concordare cum

ſapientibus. Intellectus meus, inquit, ſeque oſtentat, quia nullum eius ſuperat à morte veſtigium, mortalis eſt abſolutè quâ meus eſt; quâ intellectus verò immortalis. Mitto quærere quâ intellectus, eius ſit nécne, quod aliquis in malam partem interpretari poſſet, aliquis forſitan enodere ſubtiliter. Rationem dicti quæro, quam neceſſe eſt ex his duabus vnam afferat; quòd intelligendi ratio ſecundum ſe nihil mortale ſonet; aut quæ reperitur in Deo & Angelo ea certè perennis ſit. At ſi id ſufficit ad immortalitatem humano vendicandam intellectui, nonne pari iure, humana ſubſtantia ſimul & angelica dicetur non creata, non finita? cùm ſubſtantiæ ratio nec ſecundum ſe creatum quidquam aut finitum ſonet, nec in Deo creata ſit aut finita. Et has ineptias adſcribemus Philoſopho,

aut ſuadebimus hominibus, vt ne ſe credant ex eo animum immortalem habere. O tempora, O mores. Sed ſecum pugnet quantum volet Perretus, dum ne in impugnandâ veritate fortior ſit ac ſubtilior; neque verò eſt, vt iam oſtendo.

Reſponſio ad ea omnia quæ contra immortalitatem edidit Pomponatius.

§. 3.

TRiplici occaſione ſcripſit cótra immortalitatem animæ Pomponatius, aut potiùs, vt præ ſe fert, contra probationem eius ex ratione & Ariſtotele, neque enim videri vult impius. Semel cùm hunc librum edidit, quem nunc ſcrutamur in primis; iterùm cùm aduerſus Sueſſanum; ac tertiò cùm contra Ambroſium Parthe-

nopæũ Antiſtitem, eumdémque rurſus Auguſtinum Niphum ſueſſanum de ſtatu ſeparationis animæ aciem inſtruxit. Repręſentabo tibi, lector, hoc loco, breuiter argumenta eius omnia, paucis tamen exceptis, quorum diſſolutionem cùm ex libro præcedente in promptu habeas, non verſabor in eis diutiùs, niſi ſi quando videbitur adijciendum aliquid.

Obiecta Pomponatij ex libro eius de immortalitate animæ.

Caput I.

PRimum erit ne effugiat, quod iam nobis erat in manibus ex cap. 9. Quî potuerit Ariſtoteles de intellectu eodem tam contraria ſtatuere. Reſpondeo potuiſſe ſi modò id fecit, habitâ ratione functionum eius diuerſarum. Hinc quia ſenſus, quia vis vegetatiua

Digitized by Google

hominis tum eſt in quantitate & organo, tum in diſſolutione perit; intellectum hominis aut animum ait mixtum eſſe, ac mortalem; quia verò contra vis intelligendi in homine nec organo, nec morti ſubiecta eſt, eundem negat mixtum eſſe aut mortalem. Rectè profectò; cùm enim in ſcholâ peripateticâ Vnumquodque ſit propter ſuum operari, vt loquuntur; cui pars operis perit, pars intacta manet, eſt cur dicatur ipſe partim perire, partim permanere; quanquã magis imò abſolutè permanet, cuius ſubſtantia ſemper eſt ſuî ſimilis, inconſtans actio.

Ad 2. quòd modus intelligendi duplex duplicaret ipſam naturam animæ; præter quam quòd habes ſuprà c. 7. particulæ vltimæ quartę partis; Reſpondeo totum illud euaneſcere, ſi quis attendat longè magis diſcrepare ab inuicem,

hoc eſt inter ſe (hunc enim in nobis barbariſmum fortè non vnicũ philoſophiæ excuſatio tolerabilem reddat neceſſe eſt) cognoſcendi modum qui eſt in intelligendo poſitus, quíque in ſentiendo, quàm qui in intelligendo cum phantaſmate, & ſine eo; cùm intelligendo quocunque tandem modo concordemus cum Deo & Angelo, ſentiendo autem cum belluis; belluarum ~~porrò longè~~ ſit à Deo & Angelo diſſidium maius, quàm coniunctionis animæ cum corpore à ſeparatione & exiſtentiâ ſine eo; quo fit vt ſi intellectus & ſenſus in vnam & ſimplicem animæ ſubſtantiam conuenire poſſint ac debeant, multò magis ſtatus ille cognoſcendi adeóque exiſtendi qui nunc eſt, quique nobis poſt mortem futurus eſt.

Ad 3. perbene Iauellus, cùm quæritur. Num mens noſtra ſit

Hoc aliquid, reſpondet cum negatione, quòd ſubſtantia ſit in genere naturæ non omnibus ſuis numeris completa; dum autem vrgetur, quo tandem pacto valeat igitur per ſe conſiſtere: quia, inquit, ſuum ipſa poſſidet eſſe quod communicat cum homine in vitâ, repetit & quaſi retrahit in ſe ſe, dum moritur homo. Ita ille ac ſolidè. Nos plura aut alia fuſiùs cap. 6. particulæ illius vltimæ.

Quartum eſt, in quo ſciſcitatur de modo & ratione intelligendi, qualem ſecutura ſit anima ſeparata. Reſpondet Iauellus & bene intellecturam ſine phantaſmate; neque propterea tamen aut intelligentię penitùs abſtractæ cui nulla cum ſenſu ſocietas, concedendum eſſe vſum phantaſmatis, quòd liberetur ab eo aliquando anima partim intelligens partim ex ſe ſentiens; aut eam fore operatio-

num diuerſitatem quæ in ipſam naturam redundet, quâ de re iam ad ſecundum dixi; aut denique quidquam in eo videri contrariũ Philoſopho, qui neque intelligentias cœlis tam affirmatè pares facit numero; dum 12. Metaphyſ. id quidem ait eſſe à ratione non alienum, an autem tantam neceſſitatem habeat, acrioribus ingenijs propoſitum eſſe ad diſputandum. Addo, neque ſi id faciat Philoſophus, quidquam facturum contra nos, qui animas ſeparatas aſſeuerantiſſimè dicimus nullas vnquam fore, niſi pro numero corporum velut orbium non cæleſtium, ſed terreſtrium, quibus olim vitam & motum dederint ſingulæ ſingulis.

In quinto argutulus eſſe vult, vt D. Thomam ad ſuas partes trahat, quaſi conceſſerit c. 48. 3. contra Gentes, animam noſtram ex Ari-

Digitized by Google

ſtotele non eſſe verè intelligentẽ; ſed in illo capite S. Doctor ne literulam quidem habet eò pertinentem, tantúmque diſputat de viſione Dei in hac vita, ídque præſertim ex mente Auguſtini; Ariſtotelis nomen ne ſemel quidem vſurpat; qui ſi quid fortè ſimile habet alibi, facile eſt cuilibet illud in eam ſententiam interpretari, vt præ diuino & angelico noſtrum in hoc præcipuè corpore intelligendi modum iure poſſimus aſpernari.

At violentus tandem, inquit, ſeparationis ſtatus quî poteſt eſſe diuturnus? quam porrò violentiam loquitur, quin eius eſſet longè vehementior impetus in animam ſi opprimeretur morte? haud ſponte quidem egreditur illa è corpore, quàm dulce eſt conſortium vtriuſque, vt loquitur Auguſtinus; ſed vbi egreſſa eſt, iám-

que melius aliquid contemplando poteſt; credibile eſt ſponte naturæ de reditu minimè cogitare, quem neque viribus ſuis moliri ipſa poteſt; neque ſi poſſit, admodum fortè velit. Supereſt illud ex Ariſtot. quòd ait 12. Metaph. pacem ac quietem aut delectationẽ, vt loquitur, qualem optimam ſubſtantijs ſeparatis quàm nobis longè diuturniorem concedi. Id verò quis neſcit aut non videt in his impedimentis corporum? At id non fuiſſet dicturus, ſi animam tenuiſſet immortalem. Quidni! quod vltrò dicemus ipſi, cùm volet audire Pomponatius. Enimuero ſermo ipſi erat non diuerſus de animâ ſimul & corpore; quid tum? Nonne hoc ipſum habet reſponſio noſtra; turbulentiorem nobis hîc vitam agi, quàm ſubſtantijs ſeparatis illic. Et hoc audet aduerſarijs obijcere. O malè de-

ſertum à bonis rationibus peiotem cauſidicum!

Obiecta Pomponatij contra Auguſtinum Niphum ſueſſanum.

CAPVT II.

SEptẽdecim illius generis ſunt apud Iauellum, ſed in his pleraque nihil diſcrepant ab ijs quæ partim allata, partim afferenda ſunt tum ex libro de immortalitate iterum, tum ex ſcripto aduerſus Antiſtitem Parthenopęum. Quare vt ne actum agam, ſubducam ex illo numero, quæ pertinent ad neceſſitatem phantaſmatis, ad definitionem animæ, ad pacem æternorum perpetuam, & ad rationem actûs; de quibus cùm fusè dixerim partim hîc, partim antè parte prędecedentis operis vltimâ; quid opus iterare reſponſum? niſi fortè vt addam ex Iauello, quòd etſi Ariſto-

teli nullum accidens ſit ſeparabile re ipſâ à ſubiecto, ſit tamen nihilo minùs anima; quia minor quidé accidentis vnio cum ſubiecto, quippe minùs vnum faciens, tantúmque per accidens; maior autẽ formæ cum materiâ, ex quâ vnum exiſtit per ſe; ſed huius quàm illius minùs neceſſaria, minúſque difficilis ad ſoluendum, nec iniuriâ; cùm accidentis tenuitatem niſi ex ſuis quaſi neruis ac robore ſubiectũ ſuſtentet, continuò pereundũ ei ſit; forma autem materiæ, vt ego quidem puto, magis det, quã accipiat ab eâ ſubſiſtendi beneficium; quo fit, vt ſi ex ſe paratum opus habeat aliquod, quemadmodũ habet ex dictis quæ ratione vtitur ea iam ita, ſoluente naturâ, poſſit abſcedere à materia, vt ſibi adhuc vacet, ſuo proprio fungatur munere, cuius causâ nata eſt in primis; accidens id non poſſit cùm ſit

vnius ſubiecti rationibus ac temporibus accommodatum. Et hæc cùm audient Pomponatij aſſeclæ, cúmque inciderint in ea quæ diximus ſuprà, deſinant mirari cum eo in homine, quod tam bonâ ratione nititur, quódque in alijs paſſim reperias. Nonne, inquam, pars ea plantarum aut arborum, quam natura tamdiu apud nos ſeruat ſpoliatam animâ faciebat vnũ per ſe cum eâ, ſaltem vt fatentur formarum partialium autores grauiſſimi; intelligenti loquor: quòd ſi pars ea materialis ſine formali ad ſubſiſtendum valet à naturâ quidni ſine corpore animâ? Sed hæc ego, vt profeſſus ſum, non repeto. Subtrahenda pariter nobis ſunt ex eodem numero obiectorum diluenda poſtea, in quibus vrget non ſemel aduerſarius de eo quòd nihil quidquam ſimul ſit genitum ac incorruptibile. Hâc por-

rò ſubtractione factâ obijcit Nipho Pomponatius. Primò. Æterno igitur languebit otio anima quâ parte nata eſt vitam animantis & plantę conferre homini. Dixi ad illud ſuprà c. 7. particulæ vltimę. Addam niſi moleſtum eſt abhorrere quidem ab otio & deſidiâ naturam ; præſtabilius tamen ei eſſe de multis potentijs quas aliquandiu exercuerit aliquas continere deinceps & vacuas poſſidere, cùm deeſt facultas operis, quàm vnà cum illis, alijs etiam priuari quarum vſus tunc ſit opportunus. Sic autem intelligendi vim iubet in animâ vigere poſt mortem vel maximè, ſentiendi ac vegetandi quieſcere, niſi melior ſuccurrat è cœlo Deus. Nonne ipſa in aquâ tanquam frigoris fontem aperuit, cùm ei facultatem indidit reſtituédi ſe in integrum, ex quo tamen nihil quidquam hauriat in multis

aquæ partibus, quæ ſibi ſemper ſimiles conſtant. In his & alijs huiuſmodi ſi naturæ fas eſt paratas habere vires aliquas in omnem euentum, vt ſi quando ijs opus ſit, quibus etiam nunquam opus eſſe poſſit. Cur non poterit ſentiendi vegetandi ac intelligendi radicem vnam & eandem ſic ſibi vendicare æternis temporum ſpatijs, vt vnius generis fructus ex eâ colligat, cùm alios antè collegerit. Non modò non omnis fert omnia tellus, ſed ne omni quidem tempore, pro excepto ſemine omni truncos procreat & ramos.

Inſtat ſecundò, vnde igitur puerorum ac ſenum intelligentia diſcrepans, ſi non pendet ex ſenſu intellectus? Ecquis verò ei dixit non pendere in principijs; quaſi verò non ſit naturæ familiare ab imperfectis ad perfectiora progredi. At quis ſenſus animæ ſolutæ viam

pandet? neque enim tunc in ignotis regionibus illis ſecuriùs incedet, quàm in his dum ingreſſa eſt corpus. Itáne verò? nec vis eius vnita fortior eſſe poterit, quod in omnibus alijs euenit, quàm cùm ſparſa erat & diſſipata per varias functiones corporis. Nec poterit tunc aut in via tum inſiſtere, tum ingredi, quam ei ſenſus tritam reliquerit; aut in ſolitudinem ſuam vires conferre integras, quarum ad ſe partem ſemper olim aliquã pro iure ſuo trahebat corporis comitatus. Vrget adhuc acriùs tertiò an quartò. Si collectæ vires animæ tantum ei conferunt, quantum ad æternitatem ſine ſenſu quietè ac ſuauiter ducendam ſatis ſit, cur iubetur eas aliquando effundere in corpus. Aut quid habet intellectus humanus ex priſtinâ ſocietate corporis, cur poſt illud quidem, antè verò eſſe nequeat? hoc certè,

quòd

quòd ſi præcederet, legem illam violaret; quâ ſtant vniuerſa, vt quidquid fit in his ſaltem rebus inferioribus, fiat exigente diſpoſitione materiæ motu aliquo cauſarum naturalium præparatæ; dum autem poſt diſſolutum corporis domicilium, ipſe de cætero ſecum habitat, tantum ſuo iure vtitur. Ergo, inquit. Placet enim huc ex eo conferre varia his conſona. Ergo ipſi pro cymbâ corpus, pro hoſpitio paucorum dierum, aut pro ſuo orbe mouendo, ſeparatarum intelligentiarum more. Haud quaquam; in his enim neque hoſpes, neque nauigans neque motor generis vllius vitam aut ſibi habet, aut dat alteri, quin per ſe eiuſdem generis habere poſſit; anima autem niſi corpus adſit, nec ſentit aut ipſa, aut homo, nec ſtirpium vitam obtinet.

Sed eſt in quo ſibi adhuc magis

politus videtur ſexto loco, de animâ foris delatâ, quod habet diſertiſſimè Philoſophus, c. 3. lib. 2. de gen. animal; ipſe verò ſic explicat vt quâ mens eſt, adducatur extrinſecus, non quâ humana: ſi autem quâ humana etiã, id intelligendũ ſit de diuinitatis participatione, dabit veniam verbo bonitas rei, quâ præſtet animanti & plantæ. O te, mi Pomponati, niſi meliori iam mente eſſe crediderint, vt de hac Ariſtotelis mente, in humanæ mentis atrocem iniuriam, cogitationum tacito conuicio verberabunt qui hæc legent. Ego verò quid dicam? Téne ita Ariſtotelem interpretari hominem eum cuius ne doctrinam deſereres, vt tibi olim videbaris, opus illud edidiſti, quo non paucis hominibus ſcrupulus iniectus eſt an ſequereris eam quam nobis è cœlo Chriſtus attulit. Vt mens, inquis, foris ad-

uenit. Verùm vt mens ne aduenit quidem ; quid enim, ſi hoc tantũ agitur, vt quis intelligat, vt mente conſtet, quid opus, inquam corpore, aut vllo in corpus aduentu? Memento quid alibi dixeris, & Ariſtoteli à te deprauato mirabiliter affinxeris, Nonne intellectui humano propterea rurſum inſulsè, vt oſtendi, dixiſti ab Philoſopho immortalitatem tribui quâ intellectus, non quâ humanus eſt; quòd ratio intellectûs abſtracta & ſolitaria nihil ſcilicet habeat commune cum corpore, vnde mortem timeat. Nonne item eâdem causâ motores cœlorum Angelos non eſſe ipſorum formas quâ parte intelligunt. Hîc verò laboras vt mẽs quâ mens eſt, intellectus quâ intellectus, ne ſcilicet vacet omnino à corpore, foris dicatur aduenire. O malè ac peſſimè feriatum hominem. Nam illud de diuinitate par-

ticipandâ tam longè petitum, tantóque interuallo à ſermone Philoſophi diſiunctum, quid me fruſtrà moretur? At ſi foris aduenit, quâ viâ niſi creationis, quæ tota eſt Ariſtoteli incognita, inquit. Huic quæſtioni vir minimè malus non videt ſuum eſſe vt ſatisfaciat: quęram enim idem de aduentu mẽtis quâ mens eſt, ſaltem enim hunc facit extrinſecum ipſe cum Ariſtotele. Deinde creationem cùm ipſe habeat arguere ex eo quòd foris aduenientis formæ meminerit Ariſtoteles: Si valet argumentum, cur illam actionem ei homini teſtatur incognitam, cuius in verbis extat cõſignata? An fortè neſciebat Ariſtoteles quid ſibi conſentaneè propoſitis dicendum eſſet hoc loco, ſciebat Perretus. Si autem non valet argumentum, cur eo vtitur aduerſarius. Sed valet profectò in eúmque finem plurimùm confert

vt, quod à multis diligenter velim obſeruari, intelligamus agnouiſſe Ariſtotelem actionem diſtinctam ab eâ quâ forma materiæ ſuperueniens, ex eius ſinu excitatur à cauſâ ſecundâ ſcilicet, & in apertum educitur; hæc autem eſt creatio, cuius virtute palam dicit foris aduenire animã rationis compotem quã ſic contineant humani fœtus diſpoſitiones præuię, non vt eam quidem inſtar aliarum latitantem intùs, poſſint ſuâ vi foràs proferre; ſed certè vt à causâ primâ quaſi iam extrinſecus apportari iubeant poſtquam ſuo functæ ſunt officio. Verum vrget adhuc. Ab agente æterno & voluntate antiquâ nihil noui in rebus admittit peripateticorum ſchola, niſi cùm fortè poſtulat interpoſitus orbiũ celeſtium motus perpetuus. Numquid verò continetur poſtulatum illud quodcunque hîc requiri po-

teſt à Peripateticis, in diſpoſitionibus præuijs, quæ locum fecere prouerbio illi, *Sol & homo generant hominem*, an ei non concedet Deus ſine ſubſcriptione Pomponatij? Atque hoc cùm aduerſario telum, vt putabat, acerrimum excuſſimus iam ei fermè fluunt arma de manibus; totum certè quod obijciebat Nipho enodatum eſt, aut pauca ſuperſunt mox repræſentanda; neque enim magnoperè lectori curæ eſſe puto, vt quod inſtitueramus facere, percenſendo numeremus omnia.

Obiecta Pomponatij contra Ambroſium Parthenopęum Antiſtitem de ſtatu animę ſeparatę.

Caput. III.

PRouidebo etiam hîc vt ne bis in eadem incurram veſtigia, quando multa etiam ex libro ſuo

Digitized by Google

de immortalitate visus est in hunc transferre aduersarius.

Quærit primò, animæ separatæ & atomæ quis possit conuenire motus localis ex mente Philosophi, apud quem indiuisibili nullus conuenit nisi ratione continui, in quo sit. Respondeo animæ separatæ conuenire motum localem etiá ex mente Philosophi, non eum quidem quo ita mobile spatio coæqueturvt pars parti vna post aliam, totúmque toti respondeat, sed quo reuera locum decurrat, & ad eum se applicet non sine lapsu temporis. Atque hunc secundum applicationis motum vocant, primum illum commensurationis, quem vnum dumtaxat remouet à puncto Philosophus. Nam de cætero cùm eiusdem sit operis rem in loco ponere, & motu loci ciere; quandoquidem Philosophus 8. physico intelligentiam motricem

in parte sui cœli Orientali collocat, quid laboremus pro ipso vt vel ea, vel anima separata loco se moueat?

Quærit 2. vnde species in animâ separatâ, Deus enim ex decantatâ Philosophi doctrinâ nihil noui molitur in orbe nisi si quid poscat cœli motus. Respondet Heruæus in 2. de molitione dumtaxat corporum intelligendum illud esse. Respondeo insuper inde informatum iri suis speciebus animam separatam, vnde suas habent Angeli; quo enim iure eas ab ortu suo illi possident seu à se, seu à Deo, nihil enim ad præsens institutum, eodem prorsus illæ possessurę sunt ab obitu hominis. Adde quòd tũ ipsa se per se intellectura sit, indéque factura coniecturam de alijs, quod omnino certum est; tum quod non est improbabile; collectas è phantasmate species vsurpa-

tura iam ſine eo liberiùs : vt nihil ſit cur nos ea cura vehementer pro ipsâ ſolicitet.

Quærit 3. Cognoſcent inter ſe animæ ſeparatę nęcne; cùm affirmâris, inſtat. Ergo vna infinitas, par enim ratio omnium. Infinitū autem ex phyſicis cognoſcendo exhauriri non poteſt. O plūbeum pugionem, vt enim de cōſecutionis inanitate taceam; infinitum certè ſi exhauriri non poteſt, id intelligendum eſt, dum ab vno progrederis ad alia. At verò vno intuitu dum totum colluſtrare velis, qnid obſtat?

Obijcit quartò animam ſeparatam addictam fore vni ex oppoſitis præterquam quòd poſcat natura eius inconſtans. Reſpondeo vt ita ſit nihil tamen mirum eſſe ſi tunc anima conquieſcat, cùm erit in centro ac termino, nunc autem erret ac vagetur cùm iter con-

Digitized by Google

ficit ancipite viâ

Neſcio quid ad extremum addit de virtutibus & vitijs, déque loquelâ animæ poſt mortem tam futile, vt refutare tandem pigeat.

De Ingenerabili & incorruptibili, vt ſe mutuò conſequantur.

CAPVT IV.

REuenio vnde diſceſſeram, reuocante Pomponatio, qui præter ea quæ ſelegit elegantiſſimè ex eius tractatu de immortalitate Iauellus, quæque ipſe ſecutus eram c. 1. tam multa ibidem effutit, vt ſi ea tanquam inutilia cum autore illo ſapientiſſimo, relinquam in præteritis, iterum metuam ne quem malè cautum obruat telorum quamuis leuiorum & hebetiorum multitudo. Porrò autem locus qui ſe nunc primus offert riſum mihi magis initio

mouit quàm ſtomachum, cùm arbitrarer iocando diſſolui poſſe, non maiori labore, quàm quo neſcio quid tritum ac vulgare ex ore omnium dicerem. At vbi propiùs acceſſi, & intellexi tantum eſſe in eo periculi, quantum tutò quidē tentare poſſint, qui eruditos oculos habent & intelligens iudicium, non tamen quos idiotas vocant; tum certè quamuis toto hoc in genere clementiam propoſitam haberem, cœpi tamen ei homini ſubiraſci, qui ſe peripateticum eſſe cùm prędicet, tantâ oſcitantiâ in Ariſtotele verſatur, vt quod eſt eius pronunciatum intellectu difficillimum poſtquam non ambulans ac meditans, ſed cœnatus ac dormitans legerit, ſententiam ei miſerā ac deſperatam affingens apud imperitos fidem infirmet. Locus eſt c. vlt. 1. de cœlo in quo cùm Philoſophus defendat ingenerabilis

& incorruptibilis tam conſpirantem eſſe & continuatam cognationem, vt nullo caſu dirimi poſſit, & ſi quid in rebus ſit non genitum, illud eſſe corruptibile, lex naturæ pleniſſimè vetet; ac deinde retrorſum viciſſim, ſi quid incorruptè perſeueret eſſe quod ſemel eſt, illud nefas ſit genitum arbitrari. Hinc magnum illud in nos Pomponatius telum intorquet. Animam hominis oportere ex philoſopho, aut ſemper fuiſſe, aut aliquando deficere. Ad hoc argumentum cùm variæ reſponſiones ſint, explicabo duas. Prima eſt, quòd dictum illud ſit ac probatum ab Ariſtotele contra Platonem; qui cum doceret in Timæo, vt refert ipſe de magiſtro diſcipulus vno aut altero antè capite, mundum hunc ita repentè cum ſuâ pulcritudine extitiſſe, vt ab infinitis antè ſæculis antiquiore ipſo

mole indigeſtâ ac rudi nullóque ortu procreatâ naſceretur nunquã moriturus; appoſitè in contrariam partem Philoſophus. Si genitus eſt mundus ex illâ nunquam genitâ mole, profectò corrupta eſt ipſa interuentu contrariarum qualitatum, quibus ad conſtitutionem alterius locum dare & cedere cogeretur; quî potuit igitur aut ipſa ſuo quaſi in ſinu æterno tempore conquieſcere, quem contra vires aduerſarias munitum non haberet, aut mundus pugnando vitam accipere, quam nullâ huiuſmodi aleâ perditurus vnquam eſſet? Nonne ſi quid eſt non genitum ex contrarijs, huic tuta ſunt ab eis omnia, neque vllus timendus interitus aut corruptio; ſi quid contra ex conflictu amico prodijt, poteſt ab inimico confici. Tantum ergo abeſt vt moles antiqua naſcente mundo corrumpi potuerit

cùm eſſet non effecta, aut perſeuerare poſſit in ſe mundus iam effectus; vix ac ne vix quidquam eſt, quod corrumpi non genitum ex contrarijs, aut genitum ex his perſtare poſſit in naturâ. Porrò autem totum iſtud adhuc in immortalitatem animę aut creationem aptè quadrat; tantùm enim ſequitur ex eo quòd anima cùm ſit incorruptibilis non educatur ex contrariorum in materiâ contentione; non educi porrò aperta eſt tum veritas, tum Philoſophi mens, quo loco foris aduenientem ab ipſo depingi meminimus. hęc illi ac multi. At ſi tollenda eſt ex hoc ſermone diſſimulatio omnis; ſuſpicionem magnam habeo plus aliquid velle diſputationem Philoſophi, nec ſatis ad eam fore quancunque in partem capiatur, donec in eam vt nulla res abſolutè ac ſine conditione

generationis ex contrarijs vel corruptionis, aut ſemper fuiſſe queat, quin ſemper futura ſit eadem; aut nunquã cogatur locum in naturâ deſerere quẽ aliquando vacuũ reliquerit; nec quas anterioris & poſterioris nomine plerũque diſtingunt, poſſit æternitas vna ſeparari ab aliâ. Id verò ſi concedimus, aut ſchola peripatetica deſeréda protinus; aut certè conſequentis temporis infinita longitudo cum aſſignabitur intellectui humano ad intelligendum, ne antecedentis quidem minorem curſum ipſe cõfeciſſe exiſtimandus erit. Tollatur ergo ſanè generationis illius aut corruptionis appoſita conditio, quam Philoſophus ipſe tolli iubet cap. penultimo, cùm expreſsè ait Generabile id à ſe vocari, quod cùm antè non eſſet, poſtea ſit aut certè poſſit eſſe; corruptibile verò quod cum antè eſſet, poſtea non

ſit, aut certè poſſit non eſſe. *Siue id*, inquit, *cum generatione fiat aut corruptione, ſiue ſine eâ.* Quibus ſanè verbis tum conditionem illàm excludit, tum quod eſt apud ipſum in legendo notandum diligenter, vt fecimus ſuprà, non obſcurè actionem admittit aliam ab eâ, quâ vulgò ens naturale producitur, creationé ſcilicet, de quâ concedit porrò Platoni, vt ſuum ex eâ conſtituat antiquiſſimũ chaos. Enimuero quod inſtat. Alia eſt reſponſio eáque veriſſima, vt cum exceptione aliâ conſtet Philoſopho dictum ſuum; extra quam nimirum ſi cui de ente non neceſſario ſermo ſit. Hæc reſponſio cùm oſtenſum fuerit quid contineat, tum aperiendum erit quàm ſit è mente Philoſophi, réque noſtrâ.

Continuatio

Continuatio eiusdem argumenti.

CAPVT V.

SI quid, inquam, ita est ingenerabile vt semper fuerit, idque necessario, id sanè necesse est ita esse incorruptibile vt nunquam esse desinat aut desinere possit; quæ enim ei virtus satis fuit vt semper esset, quidni satis erit vt semper sit? Parirer si quid ita est incorruptibile vt cùm necessariò sit nunc, necessariò quoque futurum sit semper, id sanè necesse est ita esse ingenerabile vt nunquam cœperit esse, aut etiam potuerit incipere; quæ enim ei virtus satis fuit vt nunc esset, nec posset hoc tempore non esse, aut de cætero desinere esse, quidni eadem satis fuerit vt semper ante esset. Nam si quid certe in contrarium ita semper hactenus fuit, vt

ex voluntate alterius aut concurſu cauſarum etrxà poſitarum, id fieri poterit vt indidem quod accepit amittat aliquando; ſi quid contrà ita cum nunc ſit futurum eſt ſemper, vt ex voluntate quidem alterius aut concurſu cauſarum extrà poſitarum nunc ſit, ex ſe verò ſit futurum ſemper; id fieri poterit, vt vnde cœpit nunc eſſe, inde impeditum ante fuerit. Hanc ergo ſententiam ſi continet dictum Philoſophi verum eſt; quæramus nunc an ex ipſo contineat. Atque id quidem inde colligi poteſt primò, quòd ſic pro ratione propoſitâ, Platonis refutet abunde, ſuámque ipſius opinionem confirmet de cœli aut mundi origine, niſi quòd de cætero minus bene fundatum in eâ eſt, principium illud vtriuſque commune: neceſſariam fuiſſe mundi creationem. Ex illo éxque iam allatis Platonem argue

bat in hunc modum, vt ſuum illud æternum ac neceſſarium chaos ei oſtenderet ſuccedenti mundo deceſſiſſe contra principium de ingenerabili ſemperque futurum; ac rurſus neceſſarium mundum alteri ſucceſſiſſe, adeóque aliquando non fuiſſe contra principium de incorruptibili. Sibi verò nihil videbat extimeſcendum huiuſmodi in ſucceſſione Generationum quá ab æterno tempore aduocatam producebat in æternum tempus, ídque vt putabat neceſſariò. Et verò hæc neceſſitas ſi quàm dura tam vera fuiſſet, nihil erat in eâ incommodè circa hæc principia duo; mundum enim neceſſarium conſtituebat vt ingenerabilem, hoc eſt, ab æterno tempore exiſtentem; ſic etiam incorruptibilem, hoc eſt, cui perpetua in rebus permanſio propoſita eſſet. Intelligi poteſt ſecundò reſponſionis hu-

ius & explicationis bonitas ſi id attenditur, quòd extra eam nulla ſit ſatis apta de rationibus ijs, quas in ſubſidium vocat hoc loco Philoſophus. Ac ne longus ſim in omnibus; ponamus exemplum in vnâ aut alterâ. Ait in primis non poſſe vni & eidem rei quadrare potentiam vt ſit & non ſit tempore infinito; quidni porrò ſi cui liberum ſit eam pro arbitrio condere? vt de mundo conſtat liberam fuiſſe Deo conſtitutionem eius ſi minus æternam, quod multi nolunt, at certè quocunque tempore certo ac definito antiquiorem, quod nemo iure neget; ex eâ autem ſequitur, vt tempus infinitum aſſignes, quo mundus eſſe poterat & non eſſe; non quidem ſimul vtrũque, ſed alterutrum. Similiter de eo quod ſit tempore infinito & corruptibile ſit, cùm poſtulat conſtitui actu tale, quale eſt potenti â,

Digitized by Google

hoc eſt, corrumpi ſimpliciter; id quàm facilè diſſoluitur ſi de potentia liberâ intelligi poteſt ex eo? quis enim non ſtatim reſpondeat, cuius poteſtatis bipartiti actus & repugnantes liberi ſint, eorum neutrum diſtinctè poni neceſſariũ eſſe; alter tamen cùm poſitus fuerit, excludi alterum oportere. Denique quod cùm eſſet ex æterno tempore, incipiat aliquando corrumpi, quâ parte inſtat cur illud vno potiùs quàm alio ſigno aut puncto temporis deſitum ſit conſeruari, nonne id totum futile eſt, ſi libertati corruptionis locus eſt, ex quâ in promptu erit reſponſio; tunc cœpiſſe rem in nihilum occidere, cùm ei libitum fuit qui eam à nihilo excitârat. Peccauit ergo certè philoſophando Philoſophus, cùm arbitratus eſt Motorem primũ vi & neceſſitate coactum aut impulſum. præſtare ali-

quid extra ſe; hoc tamen peccatũ intellexit ſibi neceſſarium eſſe vt diceret eo modo quo dixit, omne ingenerabile eſſe incorruptibile, & viciſſim hęc duo retrò commeare. Reſtat nunc vt appareat immortalitati animæ quàm parum, immò nihil obſit mutua hæc conſecutio tota de ente neceſſario, vt par eſt, intellecta. Eſt enim certè anima noſtra ex Philoſopho incorruptibilis, hoc eſt ita nunc in rebus exiſtens, nunquam vt è medio tolli habeat; non tamen ipſa neceſſaria, ac proinde ne idcirco quidem ingenerabilis, hoc eſt, ita nunc in ſe conſtituta, vt ſemper quaſi ſurſum verſus retróque procedendo id ei conuenire dicas; quippe ſingularum enim animarum aut hominum vt naturalem ortum cenſuerit eſſe Philoſophus, non tamen eâ neceſſitate illigatũ quam hîc mundo attribuit; vnde

etiam hoc eodem loco ſi rogetur de ſe, de te, de Platone aut alio ſingulari aliquo homine, reſpondebit planè eiuſmodi omnes eſſe, quos eſſe fas ſit & non eſſe. De animâ ergo vniuersè in ſucceſſione rerum æternâ falſa quidem ſed Ariſtotelicâ, Ariſtotelicè dixeris vt neceſſariam ſic ingenerabilem eſſe & incommutabilem hoc ſenſu; quòd quemadmodum nullum tempus erit aut eſſe poterit deſertum ab omni animâ, ſic neque vllum fuerit aut eſſe potuerit ita ſolitarium; de vnaquaque autem, vt non neceſſariam ſic neque ingenerabilem eſſe, quamuis de reliquo incommutabilis ſit. Et ſanè eſt in hoc quidem ſermone falſitatis aliquid, ſed illud, vt vides, aliunde ortum quàm ex repugnãtiâ principiorum de ingenerabili & incorruptibili, déque immortalitate animæ. Deſeramus itaque

hunc locum ab aduerſariorum inſidijs tam aptè munitum, niſi antè iucundum eſt aduertere quàm longè fallantur, ſi qui Ariſtotelem idcirco putant mundi creationem nullam agnouiſſe, quòd ad eum hîc & alibi ingenerabilis vocabulum accommodet; tantùm enim, vt vidimus, ſonat ei vox hæc æternitatem neceſſariam, quæ ſi reipſâ quidem cum effectione ſubiecti conſentire non poteſt, opinione tamen eius conſentiat neceſſe eſt, qui primam cauſam cùm agnouit, vt Philoſophus ſenſit, cùm ei viſus eſt actionem extra ſe neceſſariam affingere, errauit vt homo.

Ex lyceo tandem vltimò Pomponatius in arenam.

CAPVT VI.

POstquam omnia Aristotelis dicta scrutatus est diligenter aduersarius, si quid se ex eis offerat, quod veritati videatur officere; ad eius non dicta se conuertit, miratúrque quid sit; cur de statu separationis, vt in eo se gerat anima, homo de cætero in omni propè re scribendo versatus, perpetuò tacuerit, si quem esse credidit. Ego verò Pomponatio super eo, vt mittam dicere, quòd suo testimonio comprobet dictum illud antiquissimum, cùm mirationis causam omnes ex ignorantiâ aut inconsiderantiâ repetunt, simpliciter respondeo Aristotelem vt taceret hoc loco longè sapientius consilium cepisse, quàm ipse vt

videoconſultus dediſſet. Author ei fuiſſes, inquis, mi Pomponati vt exeuntem è corpore, animam philoſophiæ ſuæ celebritate lætitiaque comitatam honeſtaret; quò vſque tandem, ſeu locum, ſeu tempus ſpectes? Eſt enim ei dehinc nouus orbis peragrandus hoc certè non minor, ipſáque tranſigenda æternitas. Sed quoniam conſilij ſummam requirit. Ariſtoteles quia in motu cœli viſus erat ſibi videre neſcio quid præ alijs, totus fuit in conſideratione entis corporei ac naturalis, aut partium eius quâ partes ſunt, quam conſiderationem integram intelligebat ex illo cœli motu aptam pendere. Hinc factum eſt ei primò, vt generationem Totius dumtaxat eſſe paſſim affirmârit, ac nominatim c. 3. 14. Metaph. quando quæ partium eſſe poteſt tota refertur ad eam. Secundò vt de Deo dé-

que Angelis vix aliud diſputârit quàm quod ſpectabat ex eis ad motum coeli; ſic enim Deum vocat alicubi, teſte Pomponatio, animal æternum & optimum, cui ſcilicet quaſi pro corpore ſit primum mobile; ſic intelligentias creatas ac ſepararas non plures requirit, quàm pro cœlorum numero à ſe conſtituto, quamuis plures eſſe fas ſit an nefas id à ſe relinqui dicat acrioribus in genijs, vt iam aduerti. Hinc tertiò, de animâ hominis poſtquam dixit ſeparari poſſe, quod pertinebat ad diſſolutionem compoſiti; de cætero vt ſe ſeparatim gerat vix ſibi paſſus eſt verbum effluere, cùm eo in ſtatu videret nihil ei eſſe cum cœli motu ac tempore commune, æternitatem agenti; & quaſi de ſibi cognitâ domo cùm eam trans huius vitæ terminos vſque deduxiſſet, non auſus eſt ei ſe nauigationi

viæque committere, in quâ haud amplius prælucente ſenſu, diuinare magis quàm ex eo philoſophari cogeretur, dum cœli motum ab omni erratione liberum ſic tanquam ducem & ſignifeRum perdidiſſet optimum. Ad deliberationem huiuſmodi ſi quis pomponatium adhibuiſſet, fortè aliud pro ſententiâ dixiſſet; vereor autem vt maiori cum iudicio. Noſtrum enim eſt certè, hoc eſt, philoſophantium naturaliter, per corporis ſenſus veluti per feneſtras futuræ vitæ regiones & quaſi patentes campos proſpicere, ac certis indicijs prouidere, quod facimus hactenus; vt autem populorum illic habitantium mores teneamus ac inſtituta ſingillatim omnia ſperandum illud eſt cùm eò venerimus; niſi etiam benè viuendo præcauere volumus, vt commodè illic ſimus ac beatè

Nam ſi moleſtus eſſe perget interrogando aduerſarius ; quęremus ex eo viciſſim , de ſubſtantijs ſeparatis cur hoc tantùm ſcripſerit philoſophus quod pertinebat ex eis ad mouendum orbem. Nouerat profectò communionem eſſe vitæ ac verborum aut cogitationum inter eas aliquam , quoniam quidem intelligentiâ pollent; quâ quidem re vel maximè ſocietas eſt hominum inter ipſos interior ac propior, quàm ferarum inter ſe. Quid ergo reſpondebit nobis Pō-ponatius de tam magno ſilentio , quin ſi ſibi dixerit in causâ non diſſimili, ſatisfeciſſe putet ? Colloquia certè Angelica non leuiorum ſed grauiſſimarum rerum attigiſſet Philoſophus , ſi quid in eis inueniſſet cum ſenſu conſentiens ; ſed quia puros ſpiritus ab omni concretione materiæ liberos animaduertebat vt intelligere , ſic

Digitized by Google

miſcere ſermones inter ſe modo & ratione planè ſpiritali, propterea ſuarum partium id non eſſe iudicauit. Puros appello ſpiritus, quales mihi cùm certum ſit autoritate tum Dei, tum Philoſophi, tum rationis ipſius è natura depromptæ conſtituendos eſſe; ſuprà tamen par. 3. cap. 10. datâ operâ dixi id non eſſe de ijs tam certũ quàm de Deo, vt ex occaſione indicarem longè teſtatius nobis eſſe de immaterialitate ſummi Dei quod aduerſus Anthropomorphitas ſanciuit Eccleſia; quam quod ex eius doctrinâ, nulla, quod ſciã, adhuc tam apertè damnata hęreſis erroris ſui attentauit inſidijs.

Digitized by Google

Pomponatij ad rationes aliorum responsa incondita.

CAPVT VII.

HVic homini difficile est dicere quid consilij fuerit in refutandis immortalitatis animorum argumentis communibus ac veris, illud est faciliùs affirmare non videri respondendo quàm probando aut diligentiorem aut tolerabiliorem. Ac ne id gratis nobis constet, afferamus exemplum vnum aut alterum; de omnibus enim quid tempus dicendo tererem? cùm ex vno coniectura fieri possit de cæteris. Quod vrgent perbene plerique, nósque attulimus ipsi iam inde à principio, de consensu nationum omnium ac temporum, non potuisse tam constanter ex eo immortalitatem animorum constitui nisi

impellente naturâ, cuius ea quasi vox esset & testificatio sempiterna; totum id eludendo, dicit Legislatorum artificium fuisse regendis populis ac moderandis aptum. Sed artificiorum cùm alia ex naturâ nata sint, vt quibus ipsa vehementer eget, alia aliunde ad nos fortè venerint; quin istud maximè necessarium ac intimum locaret in primis, quid poterit excusare? Nam si arbitratus est inuentum illud esse astutè à maioribus, indéque manasse ad posteros politicum acroama, & præceptum populare; de Cannadiensibus nostris, hoc est, nouę nostræ Gallię incolis quid dicturus esset, si ad hæc vsque tempora vixisset, quibus insitam audimus in eorum animis immortalitatis non spem, sed fidem certam. Etiámne hominibus illis illud esse ad rectam gubernandi rationem in maiorum

sepultis

ſepultis reliquijs inciſum emblema, apud quos ne vlla quidem vox ad vitam ciuilem, aut rei publicæ adminiſtrationem pertinens exaudiri adhuc potuit; hanc ergo certè habent erudientis naturæ domeſticam diſciplinam, quâ illud elaborat etſi fructu non magno ſapiens magiſtra, vt vnicuique ſua ſit intus priuata lex virtutis & officij, quando omnibus in commune quod ad honeſtatem conferat admodum nihil eſt. Scio id quidem ab eis factitari non ſapienter vt immortalitatem ſuam cùm beſtijs partiantur; ſed hunc ab illo ita par eſt, ſenſum à ſenſu diſtinguere, vt quem videmus eorum proprium ſuſpectum habeamus, quem communem omniũ certum ac ſtabilem; quemadmodum enim quod pauci exiſtimant, id non eſt naturæ præſtare ac verum tueri; ſic ſanè quæ omnium

eſt ſententia ſi euerteretur, nimias ipſa ruinas ederet.

Sed aliud eſt, in quo ſe Pomponatius reſpondendo quàm argumentando non multò prudentiorem oſtendit, cùm etiam D. Thomæ de virtutum officijs reclamitat, nec ſatis Theologicè ab eo dictum putat; quòd ſi moreretur cum corpore anima, nihil eſſet cur homo vitam potiùs quàm virtutem deſerere vellet aut deberet. O nouum ac religioſum viuendi doctorem. Reſpondeat porrò de ſuâ diſciplinâ, niſi grauetur, magiſter eruditus. Vocem illam homine Theologo dignam putet an prorſus indignam? cùm ipſe libri ſui cap. 14. non longè à fine poſtquam velut ex oraculo dixit meliùs prouiſum eſſe integritati virtutis ab ijs qui animam fecerunt mortalem, ſpémque nobis in futurum ac timorem omnem exci-

derunt, quàm qui contrà de immortalitate constituendâ disputârunt; mox initio cap. 15. subdit de æternâ post hanc vitâ, certiores nos quidem à Deo factos esse, vt haberemus non incertum actionum nostrarum finem. O socordem hominem, si non intelligit se hoc pacto in virtute tuendâ homines ex luto & vitio confectos ei præferre, cuius natura ipsa est honestatis ratio. O improbum ac impium, si hoc ipse intelligit & sustinet. Sed ne quicquam ex eo responsione careat: quâ de virtute locutos esse existimat, qui sic locuti sunt, vt nunc obijciebat, vtque ipsi iam antè locuti sumus? si de eâ, cuius officia & rationes nobis pro arbitrio, próque iure suo summo describat Deus Optimus Maximus, longè fallitur. Quid enim eis opus illâ erat cùm intra naturæ legem vr de anima

immortalis eſſet, id demum requirerent Sin autem de eâ, quam ſuis legibus natura ſanciat, quid mirum eſt virtutem non eſſe anteferendam vitæ eo caſu in quo nulla ſit ? præſente hîc animo opus eſt. Si anima, inquam, in nihilum ſponte ſuâ occideret eiecta è corpore ; quia tunc natura quæ nos antè iubebat legibus ſuis morem gerere, mutaretur ipſa ; perderet quoque haud dubiè imperandæ virtutis ius illud quod iam habet ijs fundatum legibus, quibus nos in lucem edit ; neque proinde honeſtatem vllam præſcriberet anteponendam vitæ. At verò autor naturę Deus in ſuperiori conditione cauſáque poſitus vt vel tunc voluntarias leges & poſitiuas, vt vocant, nobis poſſit imponere cum mortis etiam periculo ſeruandas, quod eſt multi fortè ſermonis, nihil ad inſtitutum, vt dixi : ſatis

enim est ad immortalitatẽ animæ naturaliter ex virtute adstruendam, de eâ mentionem facere, cuius edicta natura nostra componit & edicit. Hæc ergo Pomponatij in refellendâ immortalitate, vt suo tempore affirmabatur, infelicitas irridenda fortè magis quàm miseranda. Quòd si hodie excitaretur ab inferis, neque acutior rediret ad nos, quàm olim fuerat; quid putamus pro se responsurum? præsertim cùm illud audiret ex multis de immunitate intellectûs nostri eiusmodi, quâ sibi per se simillimus in omnibus possit se saltem in se sine ope phantasmatis diutius intueri quàm vt tantum intra huius vitæ terminos. Illúdne refricaret quod explosum est ad opusculi partem alterã c. 16. de intentionali seu intelligibili per speciem suî ipsius similitudine intellectui aduocandâ, tanquam ea

De Immortalitate animæ importunus ex se magis quàm ex Philosopho Pomponatius.

CAPVT. VIII.

VIdebatur initio Pomponatius in suam sententiam non plura dicturus, quàm ex Philosopho potuisset excerpere; post tamen quasi quidam æstus ingenij eum procul à fide magis & ratione quàm à terrâ abripuerit, propositi immemor sagittis suis ac proprijs suam ipsius animam configere aggreditur, sed eo conatu quem æquè facilè ac superiorem prohibere possimus in sequentibus. Instat primò, hoc in genere, etsi id ad Philosophi patrocinium, vt pertinere videatur, voculam eius tenuissimam quasi aliud agens alicunde arripit.

Anima si est immortalis, certè

quia immaterialis. At immaterialitatis eius quàm immortalitatis nullum habemus indicium maius. Nullum profectò ; ſed nouo & inexperto militi quis optionem detulit eligendi arma, quibus cum eo confligat hoſtis. Immortalitatem quidem habet anima item ac immaterialitatem, ſed neutra hîc alterius aut cauſa eſſe dicitur aut ſignum, aut ratio quam ſi oblitus eſt reuocet ſe ad ea quæ fruſtra nititur in D. Thoma, aliiſque infirmare, aut iſtius tandem operis lectioni incumbat, & intelliget ex intelligendi vi, non ex immaterialitate nudâ, probandam demum eſſe immortalitatem animę. At immaterialis anima, inquit, quomodo poſſet à corpore & phantaſmate ad intelligendum moueri hoc ſaltem tempore; de illo enim motu Ariſtoteles pronunciauit quòd intelligere ſit ſicut ſentire,

hoc eſt, quòd impellatur vt ſenſus ſic intellectus. Reſpondeo, vt illud concedatur quod negari poſſet, impelli nunc à ſenſu intellectum noſtrum, vt ſenſus ipſe à ſenſibili impelli ſolet; non tamen idcirco magis laborandum eſſe, vt anima noſtra ſit immaterialis, quàm vt intelligens; cum enim intelligendi ratio non ſit inferior ſegregatione à materiâ; immò cùm duæ illæ res, vt diximus ſuprà, amiciſſimæ ſint inter ſe, ſéque conſequantur mutuò; quiſquis in homine intellectum agnoſcens intelligit quî poſſit à ſenſu impelli ſubſtantia tantæ dignitatis, non video in immaterialitate ſimiliter impellendâ quid obſtupeſcat aut dubitet. Subſtantiæ ergo penitus abſtractæ, & immaterialis neque vlli coagmentatæ corpori, qualis eſt in Angelis quod poſſit à corporibus pati naturaliter, nemo quid-

quam assignârit. De eâ autem quæ respectum naturalem habeat ad corpus, cuiusmodi est in nobis, non magis sudandum hac parte existimo, quàm pro eo vt natura superius aliquid & excellentius cum inferiori, formam cum materiâ componens, de tertio aliquo genere elaboret. Propterea porrò dixi totum illud impulsionis caput negari posse & contundi, quia nonnullorum est opinio probabilissima, quòd intellectus noster speciebus rerum ac similitudinibus informetur non à phantasmate, sed à se, ipso præsente: quòd si ita est, quis erit obiectioni locus?

De Ordinandis naturæ partibus.

CAPVT IX.

NVm quid erit aliud in quo se magis quam nos torqueat

pomponatius? Opinor de ordine rerum, quem multis locis collaudat, ſi moriatur anima cum corpore, damnat, ſi ſuperſit Egregium porrò diſtributorem vniuerſitatis, qui pręclariſſimã eius partẽ vt in morte hominis comminuat ac diſſipet, obloquatur vnus omnibus. Enimuerò ſi ipſum ordinis pulchritudo delectat, nos certè multò magis. Eſt in toto rerum genere ſpiritus intelligens ac corpus materiatum; ſpiritus cui nullum ſit cum materiâ commercium aut eſſe poſſit, corpus cuius pars nulla vacet ab eâ; tum deinde partim ſpiritualis, & intelligens partim corporea & materialis ſubſtantia in medio poſita. Quid hîc fiet? vt hæc natura tertia tota ſit corruptioni obiecta cum corpore, aut tota immunis cum ſpiritu? Neutrum certè; ſed vt quâ parte accedit ad ſpiritum, hâc ſibi ad in-

telligendum conſtet, æternáque ſit; quâ verò corpus attingit, hâc diſſoluatur tandem aliquando; quid hac lege pulchrius, quid beatius? Aut quæ potior eſſet ratio cur periret nobis funditùs animus ob initam cum materiâ in ſentiendo ſocietatem, quàm vigeret æternis temporibus ſenſus, ob adiunctam ſibi intelligentis ſubſtantię opem, ſi aliud nihil affertur, nihil autem afferri poſſe probat argumentorum refutatio. Sexcenta ſunt huiuſmodi alia in quibus ſi lubeat immorari, nemo ſapiens poſſit dubitare, quin animæ immortalitas cum ordinis pulchritudine tantum congruat, quantum cum ipſâ rationis vi ac neceſſitate. Nam illud homini quando ſic arridet; vt cognoſcentium pars nullo modo pendeat ex materiâ, pars omninò, pars verò partim pendeat, partim immunis ſit; demus ei

quod poſcit, & in primo ordine Deum atque Angelos, in tertio cùm collocârit animantes, nouerit in intermedio animæ hominis quamuis immortali locum fore conuenientiſſimum, quippe quæ in ſentiendo pendeat, in intelligendo non autem, ſaltem ſeparata. Sed hæc hactenus. Nunc ſi placet audientiam facere Pomponatio; prodit in ſcenam hiſtrio & riſum captat cui plauſum dare nolumus.

Pomponatij perculſus & abiectus animus quàm in ines facit impetus.

Caput X.

TAm leuia de reliquo argumenta congerit aduerſarius, vt neſcias ſeriò rem agat an ioco. Anima, inquit, hominis eſt mortalis, in quo falluntur vniuerſi dum contrà omni ratione pugnãt,

paucis exceptis, me ſcilicet duce. Hæc enim hominis modeſtia cap. 14. pag. 107. Sed modum in dicendo quî teneat tantæ ſubtilitatis primus inuentor. Quæramus cur ita ſit, cur æquè atque corpus moriatur anima. Reſpondet cap. 8. quia finiti ad infinitum cùm nulla ſit proportio temerè facta fuiſſet partittio temporis inter corpus & animam, aut ipſi animæ quâ intellectionem haurit ex ſenſu, & quâ habet ex ſe, dum hinc breue vitæ curriculum, inde propoſita ei eſſet æternitas. Reſpondet rurſum ibidē, quia idcirco quidā hominem ita definiūt vt ſit animal mortale. Denique, quia immortalitas animę eſt articulus fidei, vt patet per Symbolum Apoſtolorum & Athanaſij. Ergo probari debet per propria fidei. Verba ſunt authoris cap 30. & vltimo, in quibus quid primum dicam,

quid vltimum ? hoc tantùm, neque enim plura ſinit dolor. Hunccine hominem in cœtu hominum & Chriſtianorum ſediſſe aliquando tantę rei, vt rebatur, arbitrũ? Et Pomponatio dehinc auſcultabit aliquis ? Immortalitatem nobis vt eripiat, aut potiùs optimæ parenti naturæ, hanc enim etiam tenemus ab illâ, poſtquam tria nobis principia cõceſſit ac fundamenta pręcipua veritatis hactenus diſputatæ, de ſeceſſione à materiâ vnum, de immunitate organi alterum, ac tertium quod ſeparabilitas animæ proprietati operationis eius vel vnius conſequens ſit; nunc tandem ad argumenta haud multò meliora has ineptias penè aniles attexit. O hominem audaciâ & impudentiâ fretum, ſi ſubiraſcendum eſt merenti aliquando. Ergo quòd fides doceat cœlum eſſe ac terram, id expe-

rientia non oſtendet, quódque iubeat Dei cultum Scriptura Sacra, nefas erit eum ratione ſancire. Rem verò miram ait, cùm animal mortale ab antiquis, dictum eſſe hominem nos docet, mirabiliorem dicturus, ſi de bipede adiúxiſſet; quaſi verò ei ad mortem animæ non hominis id illi retulerint. Nam ſi iniuriæ non beneficij loco ponit, quòd longè diutiùs viuendum ſibi eſſe intelligat extrà quàm intra corpus; ne fortè egredientem animam comprehendat ac ſtrangulet, illud velim ab eo diligenter attendi. Naturæ hoc eſſe egregium ac ſolenne inſtitutum in omnibus, vt acquirendo fini breuiſſimum tempus, potiundo longiſſimum deſcribat; id quod ne in ſingulis perſequar, monet rationis & æquitatis lux aperta? Quorſum enim fruſtrà iaculatrix perita diu ſagitam vibret, cùm

cùm citò collineare possit ? aut si non multo labore propositum queat assequi, cur se inaniter cruciet ? Animæ porrò specie suâ ac dotibus corpus informanti, quid aliud speciatim propositũ arbitramur à naturâ ? nisi vt quod est in ipsa, teste etiam Philosopho, diuinissimum, quantocyùs expeditum ad contemplandum habeat, & politum è sensûs quasi scholâ non illiberali; ac tum demum in suo fine æterno sanè tempore conquiescat. Quòd si id quęritur vt de propensione animæ separatæ in corpus ab ipsa relictum mentem meá explicem. Existimo insitam ei quidem esse cupiditatem huiusmodi aliquam, quippe enim nata est ad materiam forma; non tamen arbitror tam incensam esse ac flagrãtem, quin ei facilè moderari possit; sic sanè vt de eâ sas sit conijcere quod de amicorum rebus ac

temporibus memini me referre ex Ariſtotele; ita ad mortuos pertinere, vt neque ex aduerſis in miſeria ſint neque ex proſperis in felicitate. Immò verò ſi fiat ei poteſtas & optio vtrum velit; ſenſibus iterum perfrui non ſine incommodis corporis, an æternitatem ponere in ſe primò & alijs ex ſe per otium contemplandis, quis dubitat quin ſolitudinis ſuæ requiem & otium multis partibus malit; certè enim de contemplatione mixta & pura, hoc eſt, eâ quam ſenſus tardat, vt fit hîc, eáque quæ eſt ab eo liberata, vt illic; haud abs re dixeris quod de terrenarum rerum déque cœleſtium cognitione Philoſophus; hanc eſſe illi præferendam quamuis inchoatam & obſcuram, perfectæ & claræ. Hæc autem cùm ita eſſe putem; tamen nihilominus intelligo de Reſurrectione mortuorum

quàm verè Theologi tum à Deo destinatam esse dicant animę beatæ ne quem desiderij naturalis igniculum nimis diu minùs libenter ferat; tum etiam ab ipsa summè concupitam obtinendam aliquando; est enim in eâ cur se restitui speret non modò in integrú, sed in corpus longè ornatius ac perfectius, quódque ne visioni quidem beatæ vllum inferat impedimentum. Atque id de fine animæ dixi; nam vt contendas alium esse finem hominis, nihil ad me; Imò si meum illud esset, quàm facilè sustinerem, optabilissimum esse vel homini, intra naturæ terminos, vt cùm se toto immortalitatẽ affectare nequeat, parte suî optimâ assequatur. Assequemur porrò eámque cumulatam videndo, si modò secuti fuerimus diligendo, vt cum Augustino loquar, autorem eius aut re-

ſtitutorem Chriſtum. Atque hi-fas ſit omen accipere, & Pomponatium hominem eum qui tam leuibus de cauſis in re tam apertâ cæcus eſſe velit, quaſi deſperatum aliquem relinquere.

Cauſæ Pomponatij iudicatæ atque damnatæ appendicula.

CAPVT VI.

FA eſt cauſæ iam à nobis relictæ iniquitas, támque aperta falſitas, vt cùm eam antè iudicatam atque damnatam dixero, quá fermè fuerit omni ex parte confutata, non tá verendũ ſit ne quis ſibi præreptã in iudicando libertatẽ exiſtimet: quàm ne ſi quid cuncter in eo, multorum aut ingenio, aut æquitati videar diffidere. Reliquũ eſt vt cauſæ peſſimæ, ſecundarum quaſi partium peiorem adhuc, ſi fas, patronum demus è Stoicorum

familia vnum aliquem. *Stoici*, inquit Cicero 1. Tuſcul. *vſuram nobis largiuntur tanquam cornicibus: diu manſuros aiunt animos, ſemper negant.* Ac ſanè eſſet illud quidem amatoribus vitæ tolerabilius aliquantò, longè tamen magis rationi contrarium & philoſophiæ. Vt enim animo noſtro neſcio quid metuamus ne pereat, dum ſpoliatur corpore, ignoſci vtcumque poteſt in excuſatione oculorum, qui nihil prorſus ad nos referre poſſunt vacans corpore. Poſtquam autem ſemel occurrerit cogitatio, qualis ſit futurus animus, cùm è carcere exierit, & in liberum cœlum quaſi in domum ſuã venerit, quid poteſt de cætero torquere nos, quo minùs talis futurus ſit ſemper, nec propriâ morte interimendus vnquam? Triplex omnino modus eſt, quo res aliqua interire poteſt, cum omnes

quantum in ipsis est, ęrerr itatem affectent, nec vlla certè vspiam excedat è natura nisi coactu alterius. Primus est cùm à conseruante deseritur; alter cùm à consorte; ac tertius tandem cùm à contrario oppugnata euertitur. In his quid est quod timorem nobis faciat de animo separato? primum quidem illud quod ad se spectare Deus intelligit, vt ne concessam semel naturæ vim author eius non illiberalis, antè subtrahat quâ ipsius conditio postulet, tutum nobis pręstat multorum iam sæculorum experientiâ; & vt aliud haberet propositum, aliud autem habere ex parte aliquâ nos Christiani scimus, dum venturum iudicem expectamus; neque enim vt veniat ipse tempus illud expectaturus est, quo conflagrare poscant vniuersa corpora. Sed, vt dixi, quantumuis de animis nostris statu-

tũ haberet Deus, vt eos aliquando cùm libitum eſſet è medio tolleret quod nunquam facturum ſe fidé dedit illibatam. Noſtrum eſt dumtaxat immortalitatem eam ipſis vendicare, quâ ſempiternæ vitæ ac intelligentię ius habeant ex eius ſolius nutu ac voluntate ſuſpenſum. Alter verò internecionis modus, quo diſſoluuntur compoſita, quid poteſt habere loci in mente a corpore ſecreta, adeóque purâ & ſimplici? Præclarè enim de eo Cicero, loco iam citato. *In animi autem cognitione*, inquit, *dubitare non poſſumus, niſi planè in phyſicis plumbei ſumus; quin nihil ſit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Quod cùm ita ſit, nec ſecerni, nec diuidi, nec diſcerpi, nec diſtrahi poteſt: nec interire igitur. Eſt enim interitus quaſi diſceſſus & ſecretio ac direptus earum partium, quæ ante*

interitum iunctione aliquâ tenebantur.

Eſt ſanè huiuſmodi naturalis ſubſtantiæ interitus omnis; quem enim iam explicuimus ab conſeruatoris quaſi receſſu & alienatione repetendum, cuius nullo quidem ſit in periculo animus à ſolâ causâ primâ neutiquam deficiente pendens; is ſanè ſi quis eſt aut erit aliquando, ſupra naturam eſt ac inſtitutum ab initio rerum vniuerſarum curſum; de quo autem reſtat dicere, cùm totus ſit in contrariorum conflictu, neceſſe eſt ita demum accidere, vt dum è materia in vtrámque partem ſe totâ vacillante aduerſantem ſibi forma formàm expellit, ſecretio fiat earum partium quæ ante interitum iunctione aliquâ tenebantur. Quod cùm ita ſit; poſſet quidem hoc loco fuſiori ſermone ſupereſſederi, ac ſtatui de animo ſeparato, quòd nulla videatur eſſe poſſe

eius internecio, naturę aut viribus aut defectu. Attamen ne quã officij partem ei denegâſſe videamur, cuius ope vel iſtud ipſum exequimur, in quo laboramus, quid tandem è contrario dici aut fingi poteſt? An quòd aliquando tandem ſeparatus animus velut intelligendo defatigatus ac debilitatus, poſtulaturus ſit per ſe ipſe contra ſe, vt porrecta conſeruatoris hoc eſt Dei manus ſubtrahatur de cætero? At ſubſtantiæ intelligentis purè ac nudè, tantum abeſt vt vlla ſit vnquam defatigatio; quo plura intelligit, hoc ad intelligendum fortior eſt & robuſtior. Illúdne ex imaginationis imbecillitate, quòd quamuis ſegregata mens pertenui ſemper corpuſculo circũſedeatur, cuius proinde tanquam partis alterius ſeparatione occidere poſſit aliquando? Verùm occaſus ille cũ interuenire dicetur,

nonne æquo iure obuiã iripoterit, vt ne menti exitio ſit corpuſculi fatum, quo nunc prouidemus ne vacillantis corporis ruina oppreſſa intereat; profecto enim illius quã huius ad ſuî contemplationẽ nihil eſt cur magis opem requirat; neque minus poteſt illinc quàm iſthinc emiſſa æterno tempore ſibi vacare. Atque huic eidem argumento tandiu locus erit, dum illud concedatur, quod ratio concedi vult; auulſi à corpore animi perſéque ſine eo ſubſiſtentis, quomodo iam id confectum eſt, naturam eſſe ſimplicem ſecundo mortis generi minimè expoſitam. Tunc autem de tertio ſi quis adhuc velit altercari, ne ſine fructu longius faciat; ex eo conuincã intelligenti dũtaxat & ſeparatæ ſubtãtię nihil poſſe contrariũ reperiri; quia tum ei omnia vt ad intelligendum ſic ad ſubſiſtendum ac-

commodatiſſima ſunt; intelligendo enim ſubſiſtit, aut certè ſubſiſtendo ad intelligendum nititur in primis; tum ſi quid ex aliquo nocere quomodocunque poſſet, id ne ſe inſinuet in eam ſapientiſſimâ naturæ prouiſione cautum eſt, dum ſuo puro ac liquido non craſſo ac pingui corporatorum more, ea in ſe recipit intellectus. Concludamus igitur tandem ita vt autori bonorum omnium gratias agamus immortales de animo certè immortali, quē neque cum corpore interire ſinat quod ſuî ſaltem videndi ius etiam tunc obtinet cùm excedit à corpore; neque cùm exceſſerit aut contrarietatis, aut ſimplicitatis, aut conſeruationis debitæ defectus vllus ad mortem repetat. Atque ita quando illud eſt egregiè ab Auguſtino pronunciatum de peccato. *Immortalis animæ ſolam hanc*

mortem esse: quam scilicet sempiternæ pœnæ consequantur illic quò properamus omni festinatione, volat enim ætas; quid restat nisi vt è contrario, quod est in nobis hoc ipso quòd viuimus inter homines, à naturâ perpetuum; id in Christianorum cœtu bene & ex virtute viuentibus, beatum à Gratia ac florens velimus aliquando.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ERRATORVM EMENDATIO.

PAg. 6. verſu 2. lege *quoque* p. 11. v. 20. l. *oppoſueris*, p. 14. reijce Græcum in marginem. vt & tex. citatum p. 21. p. 37. l. *à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter*, p. 4. l. μουικώτερον p. 67. v. 21. l. ne à. p. 77. v. 21. retrahe punctum cum virgula ſub i. vocab. vt & p. 51. v. 5. appendicis. p. 78. v. 13. l. *reijcietur*, p. 98. l. *profanis*. p. 119. v. 11. l. *vna* p. 132. v. 12. l. *ſeipſum* p. 158. v. 9. l. *maiores*. p. 182. v. 24. l. *excludanturque*. p. 211. v. 20. l. *Nuſpiam*. p. 250. v. 8. l. *perſpicacia*. p. 251. v. 1. l. *propiùs*. p. 280. v. 16. ſupple *de*. p. 314. l. καλῶς. p. 355. retrahe *huius* de v. 21. in f. 20. p. 357. v. 22. l. *intendenti*. p. 376. v. 4. dele *de*. p. 396. v. 21. l. *æquè ac*. v. 20. dele *ac*.

In reliquis calamo corrigendis operam ſuam ſpopondit librarius.

Digitized by Google

Digitized by Google

RESTAURO del LIBRO ANTICO
Cav. G. DI GIACOMO
PERUGIA
1974

Digitized by Google